

MASTER NEGATIVE
NO. 93-81319-23

MICROFILMED 1993

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES/NEW YORK

as part of the
"Foundations of Western Civilization Preservation Project"

Funded by the
NATIONAL ENDOWMENT FOR THE HUMANITIES

Reproductions may not be made without permission from
Columbia University Library

COPYRIGHT STATEMENT

The copyright law of the United States - Title 17, United States Code - concerns the making of photocopies or other reproductions of copyrighted material.

Under certain conditions specified in the law, libraries and archives are authorized to furnish a photocopy or other reproduction. One of these specified conditions is that the photocopy or other reproduction is not to be "used for any purpose other than private study, scholarship, or research." If a user makes a request for, or later uses, a photocopy or reproduction for purposes in excess of "fair use," that user may be liable for copyright infringement.

This institution reserves the right to refuse to accept a copy order if, in its judgement, fulfillment of the order would involve violation of the copyright law.

AUTHOR:

TOEPELMANN, PAUL

TITLE:

DE POSIDONIO RHODIO
RERVM SCRIPTORE

PLACE:

BONNAE

DATE:

[1867]


Master Negative #

93-81319-23

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record



Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: .55

REDUCTION RATIO: 11x

IMAGE PLACEMENT: IA IIA IB IIB

DATE FILMED: 4-26-93

INITIALS SS

FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT



AIM

Association for Information and Image Management


1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter



Inches



MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.



88P84 DZ8

Columbia University
in the City of New York

LIBRARY



This book is due two weeks from the last date stamped below, and if not returned at or before that time a fine of five cents a day will be incurred.

MAR 31 1930

DEC 16 1932

Feb 29

40-1

88P84
D

DE
POSIDONIO RHODIO RERVM
SCRIPTORE

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QVAM

AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORVM ORDINE
IN ACADEMIA FRIDERICIA GVILELMIA RHENANA
RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

ET

VNA CVM SENTENTIIS CONTROVERSIS
DIE XXVI. MENSIS IANVARII A. CCICCCCLXVII
PVBLICE DEFENDET

PAVLVS TOEPELMANN

ADVERSARIORVM PARTES SVSCIPIENT:

GVILELMVS MICHAEL DR. PHIL.
LEOPOLDVS BRVNN STVD. PHIL.
PAVLVS DEVSEN STVD. PHIL.

BONNAE

TYPIS CAROLI GEORGI

[1867]

ALBERTO · TOEPELMANN ·

PATRI · OPTVMO ·

CAROLO · STEINHART ·

PRAECEPTORI · CARISSIMO ·

HASCE STVDIORVM PRIMITIAS

PIO GRATOQVE ANIMO OFFERT

AVCTOR.

88 P84

DZ8

In rebus gestis Romanorum perscrutandis atque cognoscendis cum nobis ab anno a. Chr. n. fere 220 usque ad annum 146 Polybii opere, quamvis mutilo, apertus sit fons, ex quo haurire queamus, primarius, inde ab illo anno tempus initium capit, de quo, si excipis libros Sallustii et Caesaris, eorum tantummodo narrationibus instruimur, qui non princi res, quas scripturi erant, congesserunt, sed eas multo ante gestas enarraturi neque ullis plerumque tabulis publicis neque eorum, qui ipsis rebus interfuerant, virorum testimonis adjuti, prorsus pendent ab auctoritate priorum rerum scriptorum, quorum scrinia in suum usum compilarunt. Quorum in numero primum commemorandi sunt scriptores, Caesari et Augusto aequales, Diodorus, Trogus Pompeius, Livius; deinde, eis multo posteriores, eorumque partim auctoritatem secuti: Appianus, Plutarchus, Dio Cassius. Qua re id nobis res illorum temporum consideraturis ante omnia est agendum, ut, quantum fieri possit, ex horum libris antiquorum rebusque aequalium scriptorum narrationibus enucleatis quasi ac restitutis, nec non ratione, quam in fontibus suis exscribendis secuti sint, cognita, ansam accipiamus, qua de fide eorum possimus iudicare. Ceterum iam, antequam rem accuratius disquiramus, veri videtur esse simillimum, eos scriptores, quos Polybii secutos esse auctoritatem constet, libris quoque usos esse eius, quem Polybium excepsisse eiusque historias continuasse veteres testantur: Posidonii Apamensis. Qua re satis probabile est, hoc scriptore usos esse et Livium

et Trogum Pompeium. Cum vero ex eorum de illis temporibus libris excerpta tantummodo ad nos pervenerint, res difficillima est ad demonstrandum. Contra apud Diodorum, quamquam ne eius quidem de illis temporibus libri integri exstant, cum fontes, e quibus hauserit, operi suo condendo non cum examinatione aliqua critica inseruerit, sed potius ad verbum fere transtulerit, facilissima offertur facultas scripta illa desperita cognoscendi. Accedit, quod fragmenta illa Diodori et longiora sunt et complura. Quem Posidonii historias adhibuisse, quamvis nomen eius nusquam in eis, quae supersunt, operis partibus commemoraverit, elucet e locis eius quibusdam, qui ad verbum fere consentiant cum aliis scriptoribus eadem apposito Posidonii nomine tractantibus. Porro Plutarchus Posidonii opere usum esse saepius in vitis ipse confitetur. Nec minus Appianum¹⁾ Posidonii libros nonnullis locis consuluisse appetat atque in rebus Syriae et Aegypti enarrandis Iosephum.

Iam vero nostra actate cum summum studium in Polybii fonte ex risis illis restituendo viri docti collocauerint, Posidonius, quatenus eis, quos nominavi, scriptoribus auctor fuerit, coniectum magis est, quam demonstratum. Nimurum in Polybio et ipsius et eorum, qui ab eo pendent, magna reliquiarum copia ad rem anquirendam invitat, cum Posidonii et historiarum opus paene prorsus interciderit, et scriptorum eum secutorum aut exigua tantum fragmenta²⁾ aut — velut apud Livium et Trogum Pompeium — solae epitomae exstant. Qua re in unum tantummodo

1) v. Niebuhr, Rg. II, 61, 104, 150, 273. Vorträge I. p. 60, 254. Kiene: Bundesgenossenkr. p. 318. Wiynne: de fide et auctoritate Appiani in bellis Rom. civil. enarr. etc. Groningae p. 24. sq.

2) Si excipis Plutarchum et Iosephum et in nonnullis libris Appianum. Verum in his ipsis scriptoribus, cum varios auctores sequatos eos esse constet, fontes sunt difficillimi ad cognoscendum.

illorum scriptorum inquirentes, quid e Posidonii thesauris depropmiserint, cum certo explorari nequeat, tum demum, quid Posidonio illi debeant, accurate eruere poterimus, si, quidquid de rebus a Posidonio tractatis apud varios, qui nobis exstant, scriptores, traditum est, complexi et inter se et cum Posidonii fragmentis comparaverimus. Quod propositum cum maius mihi et huius opusculi fines transgressurum visum sit, in fragmentis ex ipsius Posidonii opere servatis constitui, ita ut ex eis, adhibitis omnibus veterum de Posidonio¹⁾ dictis, et vitam eius et historiarum rationem, dispositionem, terminos statuere studearem. Qua in re cum viros doctos eatenus discordia divorsos agat, ut nuper eum minus rerum gestarum enarrationem quam terrarum gentiumque morum descriptionem exhibuisse quidam voluerint, opus haud prorsus inutile mihi videor suscepisse.

1) Scripsit de Posidonio rerum scriptore peculiari libello adhuc nemo. Fragmenta eius collegit primum Bakius, nec solum egit de rerum scriptore sed maximam partem de philosopho stoico: „Posidonii Rhodii reliq. doctrinae, accedit Wyttensbachii annotatio.“ Lugd. Bat. 1810. Ante Bakium: Vossius, de hist. Graecis. p. 155—158. (ed Westermann. p. 198—200.) Heeren: 1) de fontt. Trogi comm. Soc. Gott. 1800. p. 75. 2) de fontt. et auctor. vit. parall. Plutarchi Gotting. 1820. (p. 139—142.) C. Mueller: Fragm. hist. Gr. vol. III, p. 245. sq.

De Posidonio rerum scriptore.

Posidonius Rhodius, quo anno natus, quo mortuus sit, quamquam in tanto veterum de his rebus silentio non constat, tamen ex eis, quae de magistro, de discipulis eius, de variis, quos obiit, casibus a veteribus scriptoribus nobis tradita sunt, vitae eius spatium satis certis terminis circumscribere possumus. Cuius quaestionis ut certo quodam fundamento utamur, primum eis, quae nobis de Posidonio ita narrantur, ut ad certum annum redigi possint, in medium prolatis, eaque, qua floruerit, aetate in universum constituta, natalem quoque et mortis annum, quantum fieri potest, eruere conabimur. Qua in re primum paucos illos veterum locos, quos in nostrum usum convertere possumus, collectos proponam:

1) Posidonus ipse, legatum se Rhodo missum esse Romam ad Marium VII. consulem, testatur apud Plutarchum (Mar. c. 45, 3)¹⁾. Quam legationem cum sub anni 87 finem vel a. 86 initium missam esse constet²⁾, eo tempore Posidonium Rhodi commorantem magno apud Rhodios in honore nec iam nimis iuvenem fuisse, si statuimus, non videmur errare.

1) Plutarchus de supremis Marii diebus disserens addit: ὡς ιστορεῖ Ποσειδώνιος ὁ φιλόσοφος αὐτὸς εἰσελθεῖν καὶ διαλεχθῆναι, περὶ ὧν ἐπέστρενεν ἥδη νοσοῦντι φίσκων αὐτῷ.

2) Mortuus est Marius d. XIII. Ian. a. 86. sec. Liv. Epit. 80; die XVIII. Ian. sec. Plutarch. Mar. c. 46.

2) Octo annis post (a. 78) Ciceronem eum Rhodi audivisse ex eodem Plutarcho (Cic. c. 4) compertum habemus (cf. Cic. Brut. 91).

3) Pompeius bis eum Rhodi vidit: primum a. 67 cum ad bellum piraticum proficisceretur (Strabo p. 492), dein quattuor annis post (a. 63) finito bello Mithridatico¹⁾.

4) Ciceronis exstat epistula (ad Attic. II, 1), anno 59 scripta, ex qua Posidonium etiam tum floruisse appareat²⁾.

5) Suidas s. v. Ποσειδώνιος: ἦλθε δὲ καὶ εἰς Ρόμην ἐπὶ Μάρκου Μαρκέλλου. Cui quominus fidem habeamus cum nihil obstet³⁾, Posidonium anno 51 nondum mortuum esse scimus.

Quibus ex locis, qua quidem aetate floruerit Posidonus, cum satis appareat, accedit praeterea ad natalem eius et mortis annum accuratius definitum pergratum nobis in opusculo, quod Luciani esse dicitur, (Macrob. c. 20) hoc: Ποσειδώνιος δὲ Ἀπαμεὺς τῆς Συρίας, νόμῳ δὲ Ρόδιος . . . τέτταρα καὶ ὄγδοηκοντα ἔτη ἐβίωσεν.

Iam vero cum haec sint omnia⁴⁾, quae ad certos annos redacta de Posidonio nobis a veteribus tradita sunt,

1) Plut. Pomp. c. 42. Plin. N. H. VII, 30. (31) 112. cf. Solin. Coll. rer. mem. c. 1, 121. Drumannus (hist. Rom. IV, 477) non a. 63, sed a. 62 hoc factum esse dicit.

2) „Quamquam ad me rescripsit iam Rhodo Posidonus, se, nostrum illud ὄπόμημα cum legeret, quod ego ad eum, ut ornatius de iisdem rebus scriberet, miseram, non modo non excitatum esse“ etc.

3) v. p. 5, adn. 15.

4) Errare enim Athenaeum p. 549E: Ηοσειδώνιος ὁ στοικὸς συναποδημήσας Σκυτῶν τῷ Αρρακανῷ κληθέντι εἰς Ἀλεξάνδρειαν. (id quod repeat p. 657: . . . Ποσειδώνιον τὸν ἀπὸ τῆς στοᾶς φιλόσοφον, οὐ πολλάκις μεμνήμεθα συγγενομένου Σκυτῶν τῷ τὴν Καρχηδόνα ἐλόντι), iam Bakius (I. c. p. 7) et Lyndenus (de Panætio Rhodio, philosopho stoico L. B. 1802. p. 7) animadvertere. Scimus enim ex Plut. Mor. p. 777A, Panætium Scipioni in legatione illa socium fuisse, Posidoniumque in historiis eam commemorasse.

reliqua, ut supra diximus, ex aliorum praecipue virorum aetate colligamus oportet.

Scimus autem, doctum esse Posidonium a Panaetio stoico, cuius de vitae spatio Lyndenus (l. c. p. 11) ita disputat, ut eum statuat mortuum esse Athenis a. 112: L. Crassum enim Athenas venientem iam non ibi vidisse Panaetium sed eius in schola successorem Mnesarchum (Cic. de orat. I, 11¹); Crassum autem Athenis commoratum esse P. Cornelio Scipione Nasica, L. Calpurnio Bestia coss. (sec. Pighium. annal. t. III, p. 119) a. 111. Sed contra Pighium Clintonus (fast. Hell. III. ad a. 111) de Crassi quaestura disserens a. 109 eam fuisse satis probavit. Constat igitur, ultra hunc annum certe non deduxisse vitam Panaetium; nec multo ante eum mortem obiisse, cum per triginta annos, postquam clarum de officiis opus condidit, vixerit²), ad senectutem igitur venisse putandus sit, recte colligemus (Clintonus l. c. ad a. 145 inter a. 100 et 109 eius mortem ponit). Ceterum, quo anno Panaetius mortuus sit, accurate definiri nequit. Itaque cum ex eo, quod de Panaetii morte³) posuimus, progrediamur ad natalem Posidonii annum statuendum, certe eum non post annum 129 natum esse dicemus, ita ut scholae Panaetii interesse potuerit usque ad annum suum vicesimum (a. Chr. 109). Nihil autem nos impedit, quominus etiam ante annum 129 natum esse Posidonium statuamus. — Sed iam locum videamus Strabonis, quem nobis servavit Athenaeus (p. 657 f.): *μηρονεύει δὲ αὐτῶν (sc. τῶν περνῶν) Στράβων ἐν τοῖς Γεωγραφοῦμένων, ἀνὴρ οὐ πάντα νεώτερος· λέγει γὰρ αὐτὸν ἐν τῇ ἔβδομῃ τῆς αὐτῆς πραγματείας ἐγνωκέναι Ποσειδώνιον*

1) „Audivi enim summos homines, cum quaestor ex Macedonia venisset Athenas.“ Sic Cleero Crassum dicentem facit.

2) Cic. de off. III, 2, 8.

3) Zellerus (Die Philos. der Griechen th. III, Abth. I, Leipzig 1865 p. 500) Panaetii vitae terminos constituit a. 180 et 110.

τὸν ἀπὸ τῆς στοᾶς φιλόσοφον... Praeterea Strabo p. 753: Ἐντεῦθεν (ἔξι Ἀπανείας) δ' ἔστι Ποσειδώνιος ὁ στωϊκὸς, ἀνὴρ τῶν καθ' ἡμᾶς φιλοσόφων πολυμαθέστατος.

Quorum locorum cum primus, perdita septimi libri parte, apud Strabonem ipsum nobis non servatus sit, Bakius (l. c. p. 8) certe mira quadam audacia Athenaeum falso hoc citavisse dicit et ex altero loco (p. 753: τῶν καθ' ἡμᾶς φιλοσόφων πολυμαθέστατος) repetuisse illud: *αὐτὸν ἐγνωκέναι Ποσειδώνιον τὸν ἀπὸ τῆς στοᾶς φιλόσοφον.* Verba autem καθ' ἡμᾶς de iis quoque intellegi, qui paullulum nostram aetatem praecedant (id quod probat Wyttensbachius in adnotatt. ad Bakii opus factis p. 263). Itaque non necesse esse, haec ita explicare, ut Strabonis pueritia Posidoni attigerit senectutem. Deinde de verbis illis καθ' ἡμᾶς quam notionem habeant, accurate disputat Clintonus (f. h. III, p. 581) neque unquam adhibuisse Strabonem καθ' ἡμᾶς aliter ac de iis, qui suam aetatem attigerint, demonstrat. Sed utcunque haec se habent¹), nulla omnino nobis causa est, cur in verborum illorum usum inquiramus. Nihil enim re vera est, quod obstet, quominus vidisse Strabonem credamus Posidonium. Quando enim natus sit Strabo, certo non constat, sed Grosscurdium (Strabons Erdbeschreibung, Berlin 1834. Einleit. p. XIII) nimis regressum esse cum anno 66 in lucem editum esse Strabonem constituerit, progressum vero Malte-Brunium Francogallum usque ad annum 50 non minus a vero aberrasse²), satis appetet ex eis, quae Clintonus (f. h. III. p. 553), novissime Hasenmuellerus (de Strab. Geogr. vita

1) Clintonus non rectum mihi statuisse videtur de verbis illis. Nam quamvis semper aliquis dixerit καθ' ἡμᾶς de aequalibus, cur non semel quoque hoc dicere possit de iis, qui paucis annis ante eum vita defuncti sunt, dummodo, quo tempore hoc scribit, vivant, qui illis aequales fuerint, equidem non video.

2) Biogr. univers. Tome XLIV. p. 1.

diss. phil. Bonnae 1863) de hac re disputavere. Et Clintonus quidem statuit post a. 54 recedere non licere; Hasenmuellerus etiam arctioribus finibus temporis spatium, quo natus sit Strabo, concludens „post annum 56 a. Chr. n. Strabonis natalem nequire statui“, „ante 65 a. Chr. n. Strabonem vix posse genitum esse, multo probabilius non nullis annis post“ . . . „circiter 58 a. Chr. n. lucem adspexisse Amasiae in urbe Pontica“ (l. c. p. 20). Optime autem haec cadere in nostros calculos, cum anno 129 a. Chr. n. Posidonium natum esse statuerimus, ita ut mortuus sit (sec. Lucian. Macrob. c. 20; v. p. 2) anno 45, in aperto est. Fieri enim potuisse, ut Strabo, a. 60, vel 59, vel 58 natus, videret Posidonium, usque ad annum 45 vitam degentem, nemo erit, qui neget. Evidem vel ob eum ipsum Strabonis locum ab Athenaeo (p. 657) citatum anno 60 Strabonem natum esse credere malim quam 59 vel 58¹⁾.

Itaque ut iam ad finem veniamus, neque Bakii neque Muelleri de Posidonii mortis tempore sententia prorsus placet. Bakius enim nullis causis allatis eum diem supremum obiisse censet eo ipso, quo Romam venisset, anno 51, natum igitur esse anno 135, ita ut tres et viginti annos natus Panaetium, quem Lyndenum secutus²⁾ mortuum esse anno 112 Bakius putat, magistrum audiret. Prorsus eum neglexisse locum illum Athenaei iam supra

1) Hasenmuellerus (l. c. p. 20. adn. 2): „Strabonem cum probabile sit, per aliquantum temporis Posidonii doctrina usum esse, vix multum ante 40 a. Chr. n. Posidonium obiisse statuendum est.“ Falsum hoc esse intellegitur ex eis, quae de Panaetii morte supra diximus; de Posidonio, num magister fuerit Strabonis v. p. 12. adn. 23.

2) Tota Bakii computatio posita est in Lyndeni de Panaetio calculis. Ille autem ab ipsa Posidonii aetate sine certo arguento sic constituta (135—51) proficiuntur ad definiendum Panaetii mortis annum (112), quo anno iterum Bakius utitur ad terminandum Posidonii annum natalem.

commemoravimus. Muellerus autem cum Bakii errores bene intellexisset, in contrarium vitium incidit (fragm. hist. Gr. III, p. 245). Ex fragmento enim 47 (ap. Mueller. p. 272; Plut. Brut. c. 1) Posidonium etiam post Caesaris mortem vixisse contendit: „quae frgm. 47 de M. Bruto leguntur, arguere mihi videntur, eum (sc. Posidonium) post mortem Caesaris scribendo adhuc occupatum fuisse.“ Quo in loco Plutarchus dicit: inimicos M. Bruti negasse paternum eius genus ad eum Brutum pertinere, qui reges Roma eiecerisset, nullam enim huic prolem relictam esse filii necatis: Ποσειδώνιος δὲ, ὁ φιλόσοφος τοὺς μὲν ἐνηλίκους φρονὶν ἀπολέσθαι τοῦ Βρούτου παῖδας, ὡς ιστόρηται· τρίτον δὲ λειφθῆναι νήπιον, ἀφ' οὗ τὸ γένος ἀμιησθαι καὶ τῶν γε καθ' ἑαυτὸν ἐκ τῆς οἰκίας γεγονότων ἐπιφανῶν ἀνδρῶν ἀναφέρειν ἐνίους πρὸς τὸν ἀνδριάντα τοῦ Βρούτου τὴν δμοιότητα τῆς ιδέας. Sed certe hoc a Posidonio etiam ante Caesaris mortem scriptum esse posse, nemo negabit, praesertim cum eum consuetudine coniunctum fuisse cum M. Bruto (de quo Plutarchus in vita eius p. 984 E: τῶν Ἐλληνικῶν φιλοσόφων οὐδενὸς μὲν ἀνήκοος ἦν) veri sit simillimum. Panaetium mortuum esse paullo ante 100, natum Strabonem a. 54 Clintonum secutus Muellerus¹⁾ dicit, itaque „decem fere annis iuniorem fuisse Posidonium, quam Bakius censet,“ suspicatur.

Perpensis igitur omnibus, quae ex antiquis scriptoribus ad definiendum Posidonii et natalem et mortis annum tradita habemus, ita, ut nulli loco reliquis neglectis soli fidem habeamus sed in eorum consensu veritatem in-

1) Sic autem secutus est Clintonum, ut, eum ille dicat, inter annum 100 et 109 mortuum esse Panaetium, natum Strabonem non post ann. 54; in ann. 100 et ann. 54 ponat Panaetii mortem, Strabonis natalem; terminos igitur spatiorum, quae Clintonus caute constituit, ille sibi sumpsit, quod in calculos eius bene quadrabant.

esse censeamus, in lucem editum esse Posidonium a. 130 vel 129, mortuum igitur a. 46 vel 45 putamus¹⁾.

Quae de vita Posidonii nobis narrantur, diligenter collegit Bakius (l. c. p. 4—23), cuius vestigiis insistit Muellerus in praefatione fragmentorum Posidonii (Frgm. hist. III, p. 246). Nobis cum non de philosopho sed de rerum scriptore disserendum sit, de iis tantummodo Posidonii rebus accuratius agendum erit, ex quibus ad cognoscendam eius historiae scribendae artem et rationem aliquid intellegamus: cetera breviter perstringemus.

Apameam Syriae urbem patriam fuisse Posidonio inter veteres est consensus. Strabo p. 655: *Ποσιδωνίους τὴν Συρίας* et p. 753 de Syriae disserens urbibus Apameam quoque accurate describit et in fine disputatio-

1) Zeller (die Philosoph. der Griechen in ihrer geschichtl. Entwickl. III, I. p. 507. Anm. 5. II. Aufl. Leipzig. 1865) de Posidonii aetate et contra Bakium et contra Muellerum disputat, sed novi nihil affert. Primum num Posidonius a. 51 Romam venerit, dubitat: „Mir ist die Angabe des Suidas verdächtig, theils weil es nicht eben wahrscheinlich ist, dass Posidonius als ein Greis von mehr als 80 Jahren noch einmal nach Rom reiste (nondum octoginta annos natum tunc temporis fuisse Posidonium scimus), theils weil Suidas so redet, als ob dieser Besuch des Posidonius in Rom der einzige oder doch bekannteste wäre, theils weil man eine Spur dieser Anwesenheit bei Cicero, dessen phil. Schriften fast alle zu jener Zeit und ein grosser Theil der Briefe später geschrieben sind, zu finden erwarten musste. Der M. Marcellus ist vielleicht durch irgend ein Versehen aus Marius entstanden.“ Sed haec omnia prorsus nullam argumentum vim habere appetat. Suidas sua sine ordine ex aliis scriptoribus excerpit, ita ut, quod Zellerus dicit: „er redet, als ob dieser Besuch in Rom der einzige oder doch der bekannteste wäre“ non sit causa ad fidem eius hac in re evertendam. Contra Muellerum, quod nos quoque attulimus, dicit: „für mich ist das Hauptbedenken gegen Müller's Annahme der Umstand, dass Posidonius unter dieser Voraussetzung nicht wohl noch ein Schüler des Panætius sein könnte, dessen Tod wir nicht über 110 v. Chr. werden herabrücken dürfen.“

nis habet: *'Εντεῦθεν δ' ἔστι Ποσειδώνιος ὁ στωϊκός* (cf. Lucian. Macrob. c. 20, Athen. p. 252 E). Erat autem Apamea una ex quattuor, quibus tetrapolis Seleucis continebatur, urbibus, et urbs satrapiae capitalis teste ipso Posidonio apud Strabonem p. 749, (Mueller. l. c. frgm. 59). Atque de patriae suae Syriae historia bene meritum esse Posidonium, ne ipsius quidem Apameae res neglexisse, postea videbimus in perlustrando historico eius opere. Quam diu mortatus sit in Syria, nescimus, neque quibus in pueritia praeceptoribus usus sit, ad nos pervenit notitia. Nam de magistris eius nihil nobis tradunt, nisi discipulum eum fuisse Panaetii Rhodii philosophi stoici¹⁾. Itaque Athenas se contulisse Posidonium necesse est, ubi tum post Antipatri Tarsensis obitum stoicorum scholæ præfuit Panaetius. Quem cum Athenis diem supremum obiisse compertum habeamus, Posidonius ibi usque ad doctoris mortem remansisse putandus est. Iam vero utrum postea quoque Athenis commoratus sit aliorumque philosophorum illustrium scholis interfuerit, necne, prorsus est dubium. Sane maximam vitae partem Rhodi eum versatum esse, ubi stoicae scholæ, sive a Panaetio sive iam ante eum constitutæ (Lyndenus l. c. p. 17), summis, ut videbimus, viris frequentatae, præfuit, ex veterum testimonio satis constat, ita ut Rhodius quoque appellatus sit²⁾. Rhodi

1) Cic. de offic. III, 2: Quod eo magis miror, quia scriptum a discipulo eius (sc. Panaetii) Posidonio est, triginta annis vixisse Panaetium, posteaquam illos libros edidisset. — Et (de divin. I, 3): Sed a stoicis vel princeps eius disciplinae Posidonii doctor Panaetius etc. Suidas s. v. *Ποσειδώνιος* Άπαμενος ἐκ Συρίας, ἦ Ρόδιος, φιλόσοφος στωϊκός, ὃς ἐπεκάθη οὐλητής. Σχολὴν δ' ἔσχεν ἐν Ρόδῳ διάδοχος γεγονὼς καὶ μαθητὴς Παναιτίου, ἥλθε δὲ καὶ εἰς Ρόμην ἐπὶ Μάρκου Μαρκέλλου. Εὔραψε πολλά. cf. Eudoc. p. 365.

2) v. Suid. s. v. *Ποσειδ.*; Strabo p. 655: *Ποσειδώνιος ἐπολιτεύσατο μὲν ἐν Ρόδῳ καὶ θουριστεύεται*. Luc. Macrob. c. 20: *Ποσειδώνιος ὁ Άπαμενος, νόμῳ δὲ Ρόδιος*. Athen. p. 252 E: *Ποσειδώνιος ὁ Άπαμενος ὑστερον δὲ Ρόδιος χρηματίσας*.

autem non solum in scholae umbra delituisse eum, verum etiam ad rem publicam accessisse cum ex Strabonis loco supra citato appareat, tum testis est ipse apud eundem Strabonem (p. 316): *τουαύτην δὲ (sc. τὴν ἀμπελῖτιν γῆν ἀσφαλτῶδην) εὑρεθῆναι καὶ ἐν Ῥόδῳ προνταῖς οὐντος αὐτοῦ.* Summum igitur Rhodi magistratum eum gessisse scimus (v. Meursius in Rhodo I, 19). Quanto autem apud Rhodios in honore fuerit, cum eum a. 86 legatum Romanum miserint, iam supra de aetate eius disserentes commemoravimus. Cuius de legationis causa cum nihil nobis constet, tamen propter belli Mithridatici turbas, cum in eis regionibus sola Rhodus in Romanorum fide mansisset, ad nuntiandum rerum statum vel auxilii petendi causa missam eam esse veri est simillimum; diversam autem fuisse a nobili illa de Rhodiorum praemiis ad senatum Sulla dictatore tribus postea annis missa recte adnotat Bakius (l. c. p. 13).

Iam cum nihil nobis praeterea traditum sit de muneribus et officiis, quae Rhodi gesserit, dicendum videtur de amicitiis, quae ei cum nobilissimis Romanis intercedebant, ex quibus varios eum ad historiam scribendam fructus percipere potuisse in aperto est.

Et Ciceronem quidem Rhodi commorantem familiariter usum esse Posidonio¹⁾, iam antea vidimus; sed postero quoque tempore eos amicitia coniunctos fuisse satis patet ex variis Ciceronis locis²⁾. Iam vero de Pompeio videamus, qui primum, quod scimus, vidi Posidonium ad piraticum bellum profecturus. Strabo p. 491 et 492: *Ποσειδώνιος . . . φίλος Πομπήιος γεγονώς . . . φασὶ γοῦν ἐν Ῥόδῳ γενόμενον τὸν Πομπήιον ἡγίκα ἐπὶ τὸν λη-*

1) Plut. Cic. c. 4. Cic. d. nat. deor. I, 3, de fin. I, 2, de fato c. 3. cf. etiam Brut. 91.

2) Praecipue Tusc. quaest. II, 25: At non noster Posidonius, quem et ipse saepe vidi, et id dicam etc.

στρικὸν πόλεμον ἔξηλθεν (εὐθὺς δ' ἔμελλε καὶ ἐπὶ Μιθριδάτην ὁρμήσειν καὶ τὰ μέχρι τῆς Κασπίας ἔθνη) παρατυχεῖν διαλεγομένη τῷ Ποσειδωνίῳ, ἀπιόντα δ' ἐρέσθαι, εἴ τι προστάττει, τὸν δ' εἰπεῖν.

Ἄλλεν ἀριστεύειν, καὶ ὑπερόχον ἔμμεναι ἄλλων. Quatuor annis post iterum Pompeium Rhodi Posidonium vidisse Plutarchus testis est in Pomp. (c. 42): *Ἐν δὲ Ῥόδῳ γενόμενος Πομπήιος πάντων μὲν ἡροόσσατο τῶν σοφιστῶν καὶ δωρεὰν ἔκάστῳ τάλαντον ἔδωκεν. Ποσειδώνιος δὲ καὶ τὴν ἀφόσσιν ἀνέγραψεν, ἦν ἔσχεν ἐπ' αὐτοῦ πρὸς Ἐρμαγόραν τὸν δήτορα περὶ τῆς καθ' ὅλον ζητήσεως ἀντιτάξαμενος¹⁾.* Tum Cicero (Cic. Tusc. quaest. II, 25): Pompeius narrare solebat, se, cum Rhodium venisset decedens ex Syria audire voluisse Posidonium, sed cum audisset, eum graviter esse aegrum, quod vehementer eius artus laborarent, voluisse tamen nobilissimum philosophum vivere: quem ut vidisset et salutavisset honorificisque verbis prosecutus esset molesteque se dixisset ferre, quod eum non posset audire, at ille: „Tu vero,“ inquit, „potes, nec committam, ut dolor corporis efficiat, ut frustra tantus vir ad me venerit.“ Itaque narrabat, eum graviter et copiose de hoc ipso, nihil esse bonum, nisi quod esset honestum, cubantem disputavisse, cumque quasi faces ei doloris admoverentur, saepe dixisse: „Nihil agis dolor, quamvis sis molestus, numquam te esse confitebor malum.“

Quem Ciceronis locum cnm Bakius censeat referendum esse ad annum 67 „cum bello piratico brevissimo tempore confecto Asiam obiisse Pompeium constet, et ἐπέρχεσθαι τὰς πόλεις, ut sit in Plutarcho (Pomp. p. 634 C),“

1) Huc perfinet, quod Plinius N. H. VII, 31 de Pompeio et Posidonio nobis narrat: Cn. Pompeius confecto Mithridatico bello intraturus Posidonii sapientiae professoris clari domum fores percuti de more a lictore vetuit, et fasces litterarum ianuae submisit is, cui se oriens occidensque submiserat (cf. Solin. Coll. rer. mem. 1, 121).

statuendum erit ter Pompeium apud Posidonium fuisse, si Bakii sententiam probamus. Strabo enim, ut supra videntur, non „confecto Mithridatico bello,” sed ἡρίκα ἐξηλθεν ἐπὶ τὸν ληστρικὸν πόλεμον Pompeium Rhodi fuisse narrat^{1).}

Nec solum cum Cicerone et Pompeio amicitia eum coniunctum fuisse, sed aliis quoque nobilibus viris familiariter usum esse, docent Ciceronis verba (de nat. deor. I, 44): „verius est igitur nimirum illud, quod familiaris omnium nostrum Posidonius disseruit in libro quinto de natura deorum“. Quo ex loco Posidonium amicis usum esse intellegimus C. Vellejo (qui anno u. c. 664 tribunatum obtinuit), Q. Lucilio Balbo, C. Aurelio Cotta, qui tribunatu depulsus et Varia lege reus maiestatis factus in Graecia exul vixit, postquam autem cum Sulla rediit, consul fuit anno 64. Etiam P. Rutilium Rufum ei amicum fuisse coniecerim ex Ciceronis loco (de offic. III, 2, 10): „Scribit (sc. Posidonius) in quadam epistula, P. Rutilium Rufum dicere solere, qui Panaetium audierat, „ut nemo pictor esset inventus“ etc. Accedit, quod P. Rutilius Rufus, postquam Asiae provinciae praefuit, Romae damnatus usque ad mortem Smyrnae prorsus litterarum studio ac praeципue historiae patriae Graece scribendae deditus vitam degit^{2).}

1) Sed mihi quod loco illo Ciceronis narratur, rectius ad annum 63 vel 62 referendum esse videtur, cum „decedere“ proprie dicatur de eis, qui magistratibus perfuncti ex provincia Romam redeunt, id quod Pompeius fecit anno 63 vel 62.

2) Athen. 168 D. (Müller l. c. fragm. 38): Παρὰ δὲ Ῥωμαῖοις μηνονέται, ὡς φησι Ποσειδώνος ἐν τῇ ἐνάτῃ καὶ τεσσαρακοστῇ τῶν ἴστοριῶν, Ἀπλιάν τυνα ἐπὶ ἀστικῷ πάντας ἀνθρώπους ὑπερηκοντιζέναι. Οὗτος δὲ ἐστιν Ἀπλιός, ὁ καὶ τῆς φυγῆς αἰτιος γενόμενος Ῥουστιλῷ τῷ τὴν Ῥωμαϊκὴν ἴστοριαν ἐκδεδωκότι τῇ Ἐλλήνων φωνῇ. Ex eo loco atque alio (Ath. 274 A C) Hoffmannus

Ceterum notissimum fuisse Posidonium omnibus eis, qui eo tempore litteris et praeципue stoicae, quae tunc maxime inter Romanos vigebat, doctrinae studerent, ex Ciceronis operibus satis intellegitur (Fin. I, 2, 6. de Fato 3, 5 etc.). Posidonio igitur occasionem oblatam fuisse multarum rerum ab amicis suis potentissimis explorandarum, quarum notitiam tam accuratam alii viri nobilium usu et consuetudine carentes percipere non poterant, ex eis, quae adhuc disseruimus, iam satis appareat. Qua occasione num usus sit, quamquam equidem non dubito, tamen hoc dicendum est, veteres de hac re nihil memoriae prodisse, nisi quod Strabo (p. 492) in re geographicā quadam acerbe eum vituperat: οὐκ οἶδα δὲ πῶς ἄν τις περὶ τῶν ἀδήλων αὐτῷ πιστεύσειε μηδὲν εἰκὸς ἔχοντι εἰπεῖν περὶ αὐτῶν, ὅταν περὶ τῶν φανερῶν οὕτω παραλόγως λέγῃ. (Posidonius, quod Pontum Euxinum inter et Caspicum mare esset terrae spatium, non latius esse dixerat, quam quod inter Pelusium et mare rubrum.) Καὶ ταῦτα φίλος Πομπηίῳ γεγονὼς τῷ στρατείσαντι ἐπὶ τὸν Ιηρας καὶ τὸν Αλβανὸς μέχρι τῆς ἐφ' ἐκάτερα θαλάσσης τῆς τε Κασπίας καὶ τῆς Κολχικῆς φασὶ γοῦν ἐν Ρόδῳ etc. (v. supra. p. 7). Miror igitur Bakium, quod huic Strabonis loco proposuit¹⁾: „Iam haec familiaritas, ut Pompeio laudem ita Posidonio fructum attulit atque utilitatem: qui prout Aristoteles Magni discipuli opera adiutus, ita ipse e Pompeii itineribus mirifice geographiae scien-

(de Viriathī Numantin. bello. diss. hist. Gryphisw. 1865) colligit, „Rutilii historiam Graece scriptam inter fontes suos habuisse Posidonium“ (l. c. p. 9). Sed certe nescimus, utrum verba οὐτος δ' ξοτίν etc. Posidonii sint an Athenaei, atque eodem modo res se habet altero loco ab Hoffmanno citato (Ath. p. 274 A. C.), ubi non minus in dubio versamur. Ceterum etiamsi sciremus, Posidonii haec verba esse, non Athenaei, tamen ex eis colligere non possemus, in opere suo soribendo Rutilii historia fonte usum esse Posidonium.

1) l. c. p. 18 cf. p. 118.

tiam naturaeque cognitionem auxerit: quod Strabo significavit (p. 492)“. Sane si in hunc modum docuit Pompeius Posidonium, malus erat Aristoteli suo Alexander. Immo ex hoc Strabonis loco colligere licet, Posidonium in describendis eis terris, quas ipse non viderat, minus certum testem fuisse, quamvis ab amico Pompeio de regionibus illis sane remotis neque eo tempore accurate perlustratis rectiora fortasse discere potuisset. Certe autem propter hunc unum in rebus geographicis errorem non dubitamus, quin multum profuerit Posidonio virorum illorum amicitia, sed eam minus ad terrarum cognitionem quam ad ipsas res gestas et principum consilia rectius intellegenda valuisse consentaneum est. Aptissimum igitur fuisse Posidonium, sicut Polybius summorum suae aetatis virorum usu et consuetudine insignem, ad enarrandas res ipsa illa aetate gestas, nemo certe negabit.

Iam vero non contentum eis, quae domi ab amicis discere vel ex libris colligere posset, Posidonium in itineribus suis multam operam navasse terris cognoscendis longinquis et remotis, varii scriptores nobis tradidere. Quibus de itineribus Bakius haec affert: „mortuo Panaetio vel paullo post alias item regiones lustrare decrevit . . . Primum Athenis prefectus Hispaniam adiit . . . Gadibus praeter reliquum tempus, quod ibi degit, triginta dies fuit, ut aniles Hispanorum de sole occidente fabulas et commenta argueret et rem ipsam diligentissime cognosceret Inde in Italiam navigavit . . . Siciliam quoque visit vicinasque insulas: tum regiones ad mare superum Dalmatiam, Illyricum investigavit. Hinc anno u. 650 repulso Cimbrorum ac Teutonum impetu Massiliam prefectus Narbonensem Galliam indeque Ligures adiit. Cum hoc uberrimo peregrinationis fructu Rhodum se contulit“ (Bakius l. c. p. 11—12). Bakii verba repetit in fragmentorum Posidonii praefatione Muellerus, nec de suo quidquam apposuit, nisi quod in adnotatione (p. 246 adn. 1)

haec dicit: „Haec itinera nam recte in hanc Posidonii vitae partem transtulerit Bakius, in dubium vocaveris. Serius instituta a philosopho Romanorum potentium amicitia iam gaudente putaverim. Certe illud tempus, quo Cimbrorum bello Romani premebantur (a. 641 sq.) itineribus istis parum accommodatum“. (Sed Narbonensem Galliam, Massiliam, Ligures post hoc bellum Posidonium adiisse, Bakius, ut vidimus, ipse putat.)

Omnia autem, quae Bakius scribit, sola nituntur conjectura. Quo enim tempore haec itinera fecerit philosophus, nescimus, nec solum hac de re, num uno continuo itinere has omnes regiones perlustraverit, nihil nobis constat, verum etiam, utrum in Dalmatia, Illyrico ipse fuerit, an ex aliis scriptoribus vel hominibus ibi commoratis ea, quae affert, hauserit, in dubio relinquendum est. Itaque quae in veterum libris de Posidonii itineribus tradita reperimus, in medium proferamus, ut, quae coniectura Bakius assecutus sit, recte secernamus ab eis, quae certo memoriae prodita sunt. Et primum quidem in Hispania Posidonium fuisse variis Strabonis locis bene constat. Gadiibus eum diutius quam triginta dies moratum esse intellegimus ex Strabone (p. 138 cf. p. 174 et 175). Dein Hispaniae metalla eum vidiisse idem testis est (p. 147), sed, utrum totius terrae metalla an in Turdetania (de qua in praecedentibus sermo est apud Strabonem) solum viderit, haud bene cognoscitur. Certe eum non solum in ora inter Gades et promontorium sacrum versatum esse, sed interiores quoque regiones vidiisse intellegimus (p. 119): *Ποσειδώνιος ἐν τυρος ὑψηλῆς οἰκίας ἐν πόλει διέχοντι τῶν τόπων τούτων* (sc. τῆς παραλίας τῆς κατὰ Γάδειρα) *ὅσον τε τραχοσίους σταδίους φησὶν ἰδεῖν αστέρα* etc. et (p. 174): *περὶ μέντοι τὴν σύνοδον ἔκεινον τοῦ μηνὸς τηρήσαι μεγάλην παραλλαγὴν ἐν Ἰλίπᾳ τῆς τοῦ Βαΐτιος ἀνακοπῆς παρὰ τὰς ἔμπροσθεν, ἐν αἷς etc. διέχει δὲ Ἰλίπα τῆς θαλάττης περὶ ἐπτακοσίους*

σταδίους. Nec minus p. 614 in Iberia eum fuisse doce-
mur, sed nescimus qua in terrae regione. Utrum ad Ibe-
rum fluvium pervenerit, nec ne. (p. 175), dubium est; certe,
quae de eo narrantur, etiam ab aliis comperire poterat.
Ab Hispania in Italiam se vectum esse ipse narrat (p. 144),
ubi „Gymnesias“ quoque insulas, Sardiniam, Africæ oras
nave his terris appulsa eum vidisse discimus (cf. p. 54 et
p. 827). Atque in eodem itinere Siciliam insulam perlu-
strasse videtur (v. p. 266 et p. 273), quamquam ne hic
quidem, num ipse, quae de insula ea profert, viderit, ex
Strabonis locis intellegitur. Has igitur, de quibus adhuc
scriptimus, terras continuo eum itinere permigrasse
ipse testis est; sed num Galliam quoque et Liguriā, ubi
fuisse eum certo scimus, in eodem itinere perve-
stigaverit, parum constat. In Gallia eum non solum
Massiliae fuisse sed in terram intrasse usque ad barbaras
gentes bene intellegimus (p. 197): πρόσεστι δὲ τῇ ἀνοίᾳ
(sc. τῶν Κελτῶν) καὶ τὸ βάρβαρον καὶ τὸ ἔχυλον, δὲ τοῖς
προσβόρδοις ἔθνεσι παρακολοῦθει πλεῖστον, τὸ ἀπὸ τῆς
μάχης ἀπιόντας τὰς κεφαλὰς τῶν πολεμίων ἐξέπτειν ἐκ τῶν
αὐχένων τῶν ὑπτῶν, κομισαντας δὲ προσπατταλεύειν τοῖς
προπτυλάοις φρησὶ γοῦν Ποσειδώνιος αὐτὸς ἵδειν ταύτην
τὴν θέαν πολλάχον καὶ τὸ μὲν πρῶτον ἀηθίζεοθαι, μετὰ
δὲ ταῦτα φέρειν πρώτως διὰ τὴν συνήθειαν. Quo usque
autem in interiorē terram pervenerit, nobis non traditur.
In Liguria fuisse eum Strabo non testis est (p. 165): ἐν
δὲ τῇ Λιγυστικῇ, φησὶν δὲ Ποσειδώνιος, διηγήσασθαι τὸν
ξένον ἐντῷ Χαρμόλεων Μασσαλιώτην ἄνδρα, ὅτι etc. Quem
locum ita intellego, ut ab hospite suo Massaliae Posido-
nius de Ligurum quoque moribus doctus sit, non autem,
quod Bakius fecit, ipsum in Liguria moratum esse Posi-
donium ex his Strabonis verbis collegerim. Tamen cum
Galliam Narbonensem vidisse eum sciamus, etiam Liguriā
in itinere tetigisse facilis est conjectura, dumne quis
dicat, hoc nobis illo loco a Strabone traditum esse. —

Italam denique, Graeciam, Syriam bene novisse Posido-
nium ex eis, quae de vita eius supra exposuimus, satis
apparet. Fecisse autem haec itinera Posidonium, ut terra-
rum (praecipue quae ad solis occasum et septentriones
spectabant, ea aetate nondum accurate pervestigatae) na-
turam et indolem incolarumque mores et instituta ipse
exploraret ad libros geographicos et historicos scribendos
cum ex fragmentis eius intellegitur, tum testes sunt Strabo,
Athenaeus, alii¹⁾.

Iam praeter ea nihil de Posidonii vita compertum
habemus, quod afferamus, cum de rerum scriptore non de
philosopho nobis agendum sit. Nam cum a. 51. Romam
venisse iam supra commemoravimus, qua in urbe utrum
usque ad obitum vitam degerit, an Rhodum redierit, nesci-
mus. De discipulis eius v. Bakium (p. 20)²⁾.

1) Vitruvius postquam de aquis calidis et variorum fontium
fluminum locorumque natura disseruit (VIII, 4): „Ex his rebus sunt
nonnulla, quae ego per me perspexi, cetera in libris Graecis scripta
inveni, quorum scriptorum hi sunt auctores: Theophrastus Timaeus
Posidonius Hegesias etc. qui magna vigilantia et infinito studio
locorum proprietates regionumque qualitates aquarum virtutes ab in-
clinatione oculi ita distributas esse scriptis declaraverunt“.

2) Hasenmuellerus (l. c. p. 32) Strabonem fuisse discipulum Pó-
sidonii demonstrare studet. „Studiorum“, inquit, „Strabonis cum Posi-
donii studiis tantus est consensus, ut etiam familiari vitae consuetu-
dine doctum stoicum senem Strabonis inveniлем animum haud parum
commovisse putem . . . quas res tractabant easdem eodem etiam
sensu, vere stoico eos tractasse, docet fragmentorum, quae fre-
quentia ex Posidonii περὶ ὡκεανοῦ atque Ἀττικὰ libris apud Strabonem
servata sunt, cum Strabonianis disputationibus comparatio“. Sed
quamquam Strabonem permulta in libris suis debere Posidonio tota-
que studiorum ratione simillimum esse illius philosophi, nemo negabit,
qui geographicum Strabonis opus accuratius perlustraverit, tamen prop-
terea non licet colligere, praeceptore usum esse eum Posidonio, fami-
liaremque vitae consuetudinem eis intercessisse. Immo Strabonem, si
revera non solum ex scriptis Posidonii operibus sed etiam ab eo ipso

Restat, ut de Suidae verbis (s. v. *Ποσειδώνιος*): ὅς ἐπεκλήθη ἀθλητής dicamus. Cum enim reliqua, quae de vita Posidonii nobis tradidit Suidas, aut confirmari videbimus ab aliis scriptoribus, aut certe non repugnare eis, quae aliunde de Posidonio compertum habemus, neque erroris speciem prae se ferre, quid de verbis modo citatis iudicandum sit, prorsus in dubio versamur; neque hac de re apud Bakium vel Muellerum vel alios, qui de Posidonio scripsere, indagare aliquid potui. Evidem Suidam, ut assolet, res miscuisse putaverim: Strabo enim (p. 655) de claris Rhodi viris agens haec scribit: "Αὐδρες δ' ἐγένοντο μηῆτις ἄξιοι πολλοὶ ἐν Ρόδῳ στρατηγάται τε καὶ ἀθληταὶ, ὧν εἰσὶ καὶ οἱ Παναίτιον τοῦ φιλοσόφου πρόσων τῶν δὲ πολιτικῶν καὶ τῶν περὶ λόγους καὶ φιλοσοφίαν ὅτε Παναίτιος αὐτὸς καὶ Στρατοκλῆς καὶ Ἀνδρόνιος καὶ Λεωνίδης ὁ στωικός, ἔτι δὲ πρότερον Πραξιπάνης καὶ Ιερώνυμος καὶ Εὐδημος. Ποσειδώνιος δ' ἐποιεῖστο μὲν ἐν Ρίδῳ καὶ ἐσφίστευσεν, ἢν δ' Ἀπαμεὺς ἐν τῇ Συρίᾳ (quod ad verbum repetit Suidas). Hinc igitur aut Suidae aut alias culpa inrepsisse in ea, quae de Posidonio apud Suidam habemus,

multa didicisset, non semel sed pluribus locis, cum saepissime eum citaverit, praecoptorem suum nominaturum fuisse, consentaneum est. Sed huius rei ne vestigium quidem toto Strabonis opere reperiri potest. Nam cum urbe aliqua vel regione descripta viros illustres ibi natos commemorare soleat addatque (p. 548) de Tyrannione, (p. 650) de Aristodemo, (p. 670) de Xenarcho: οὐδὲν ἡχροασάμεθα, vel tale aliquid, cur hoc non de Posidonio dixit, cum eum et Apamea et Rhodo descripta inter claros harum urbium viros recenseat, neque omnino ullo loco, quo eius mentionem fecit, praecoptorem suum eum appellat? Atque illo ipso Athenaei loco, ex quo Strabonem novisse Posidonium scimus, dicendi ratio: ἔγνωκέναι τὸν Ποσειδώνιον significare mihi videtur, Strabonem aliqua occasione data nobilis illum philosophum stoicum vidisse, id quod, quasi rem singularē ac memoria dignam, narrat, cum ipse Strabo adolescentulus ille vero senex fuerit brevi post vita defunctus.

etiam verba illa: ὅς ἐπεκλήθη ἀθλητής, satis mihi videtur esse probabile.

Posidonium per totam vitam studiis delectatum permulta, ut illis temporibus philosophi et grammatici solebant et de variis rebus opera edidisse (Suid. ἔγραψε πολλά), et veteres scriptores nobis tradidere, neque desunt fragmenta, e quibus eum physica, mathematica, rhetorica, geographicā, historica tractasse appareat: iam igitur missis ex consilio nostro reliquis, de geographicis eius et historicis libris disputemus. Qua in re Suidas, cum de vita Posidonii satis certus auctor fuerit, valde nos perturbat; haec enim de tribus Posidonii diversis in medium profert:

1) *Ποσειδώνιος Ἀλεξανδρεῖς*, φιλόσοφος Στωικὸς, μαθητὴς Ζήνωνος τοῦ Κιτιέως. "Ἐγράψεν Ἰστορίαν τὴν μετὰ Πολύβιον ἐν βιβλίοις νέῃ ἐως τοῦ πολέμου τοῦ Κυρηναϊκοῦ καὶ Πτολεμαϊκοῦ καὶ μελέτας ὑπορικάς. Υποθέσεις εἰς Ἰημοσθένην. — Καὶ οἷμα ταῦτα μᾶλλον Ποσειδωνίον τοῦ σοφιστοῦ εἶναι τοῦ Όλβιο πολίτου. cf. Eudoc. p. 365, ubi postrema: Ταῦτα τινες εἰς Ποσειδώνιον τὸν σοφιστὴν τὸν Όλβιοπολίτην ἀναφέρονται.

2) *Ποσειδώνιος Όλβιοπολίτης*, σοφιστὴς καὶ ιστορικός. Περὶ τοῦ ὧν εανοῦ καὶ τῶν κατ' αὐτόν. Περὶ τῆς Τροιῆς καλονυμένης χώρας. Ἀττικὰς ιστορίας ἐν βιβλίοις δ'. Λιβυκὰ ἐν βιβλίοις ίδια καὶ ἄλλα τινά.

3) *Ποσειδώνιος Ἀπαμεὺς ἐκ Συρίᾳ* (et q. s. v. p. 11. adn. 1.).

4) *Vetus appendix s.v. Πολύβιος*: Ἰστέον δὲ ὅτι διάδεχεται τὴν Πολυβίου ιστορίαν Όλβιοπολίτης σοφιστής.

Quibus Suidae locis vera cum falsis confusa esse facile apparent. Ac primum quidem res post Polybii aetatem gestas non potuisse enarrare in aperto est Posidonium Alexandrinum, Zenonis Citiensis stoici discipulum, cum ille esset ante Polybium. Et re vera ipse Suidas

mavult has historias adscribere Posidonio Olbiopolitae, cui, cum Alexandrinum in studiis rhetoricos grammaticosque versatum esse videamus (*μελέτας ἡγησικάς* etc.), alia quoque historia opera apud Suidam tribuuntur. Vehementer autem in Olbiopolita quoque res miscuisse Suidam inde intellegitur, quod libellus, qui inscribitur „de oceano“, „περὶ ὀκεανοῦ“, qui quin a Posidonio Rhodio compositus sit, dubitari nequit, cum Strabo de hoc opusculo, apposito Apamensis philosophi nomine, satis multa nobis tradiderit, inter libros ab Olbiopolita scriptos enumeratur. Itaque hoc certe constare cognoscimus, apud Suidam Alexandrino et Olbiopolitae Posidoniis falso adscripta esse opera, quorum unum compertum habemus a Rhodio conditum esse. Iam vero eundem Posidonium Rhodium, quem *φιλόσοφόν τε ἄμα καὶ ἴστορίας συγγραφέα* appellat Lucianus (Macrobi. c. 20) historiarum opus conscripsisse testis est Athenaeus, qui huius operis librum citat quadragesimum nonum, atque hoc opere praecepue de rebus post annum 146 (quem ad annum deduxisse historias Polybium scimus) gestis eum egisse ex variis fragmentis apud Strabonem Plutarchum Athenaeum servatis bene constat. Ac Rhodium Posidonium, Panaetii, qui sicut Polybius Scipionis fuit comes et amicus, discipulum, triginta fere annis post Polybium florentem, etiam in elaborando historico opere, cum itineribus terras pervestigando tum nobilium virorum familiaritate, gentium mores et res gestas explorare studuisse simillimumque igitur fuisse scriptoris Megalopolitani ex eis, quae supra exposuimus, satis appareat. Itaque illum Posidonium, pari fere apud aequales, qua ipsum Polybium historiae scribendae gloria insignem, cum Suidas nihil de libris eius addiderit, quam *ἔγραψε πολλά*, opus autem historicum (quod res post a. 146 gestas continet) Alexandrino multo minus noto (qui scribere id omnino non potuit), aut Olbiopolitae, prorsus ignoto, tribuerit, condidisse opus illud a Suida nominatum: *ἱστο-*

ρίαν τὴν μετὰ Πολύβιον etc., recte putabimus. Quod autem in Posidoni Rhodii opere nominando alii scriptores verba, *τὴν μετὰ Πολύβιον* non habent, hoc certe non mirabitur, qui veterum citandi rationem cognoverit, praesertim cum fieri potuerit, ut non ab ipso Posidonio hunc in modum libri illi inscripti sint, sed postero tempore, cum res post annum 146 gestas continerent, apposita sint verba: *τὰ μετὰ Πολύβιον*.

Sed aliter de hac re sensit Bakius (l. c. p. 249): „Historiarum opus Posidonius magnum reliquit, forte quinquaginta constans libris quod ad temporis spatium, illud fere Historiis complexus Posidonius videtur, quod est inde ab Alexandro Magno usque suam aetatem: argumentum praecepue illud, ut regnorum Graecorum ab Alexandro per Asiam conditorum historiam exponeret, tum de Romanis deque finitimis gentibus praecepua adiiceret. Haec si teneamus, facile nobis cavebimus, ne *τὰ μετὰ Πολύβιον*, quod fuit opus historicum LII libris constans Posidonio nostro tribuamus Quod autem Vossius (l. l. I, 24) huius historiae post Polybium Posidonium nostrum auctorem fecit, nostro quidem iudicio minus recte statuit: quippe cuius consilii ne levissimum quidem vestigium in iis deprehendimus, quae nobis e Posidoni Historiis servata sunt; ne dicam a Polybio res multo recentiores traditas esse quibusdam Posidonianaes Historiae partibus. Fortasse rectius LII libros *τῶν μετὰ Πολύβιον* Olbiopolitae Posidoni esse, existimat H. Casaubonus“ (Commentar. in Polyb. I p. 41¹). Nulla contra nostram sententiam argumenta attulisse Bakium videmus, nisi quod Posidonium non solum res post a. 146, sed inde ab Alexandre Magno gestas opere suo (Athenaei aliorumque fragmentis noto) descriptsisse dixerit, qua in re errasse

1) Sed argumenta Casaubonus loco citato non afferat.

Bakium postea demonstrabimus, de historiarum Posidonii ambitu et quae singulis earum libris descripta sint, disserentes.

Iam vero cum hac de re dubitari vix possit, quin illius a Suida Alexandrino vel potius Olbiopolitae Posidonio tributi operis sit verus auctor notissimus ille rerum scriptor Posidonius Rhodius, rursus offendimus in Suidae verbis: ἔως τοῦ πολέμου τοῦ Κυρηναϊκοῦ καὶ Πτολεμαϊού. Vossius (de hist. Gr. p. 155) quamquam recte videt errare Suidam, cum opus illud ab Alexandrino vel Olbiopolita non a Rhodio Posidonio scriptum esse dicat, tamen in his verbis explicandis mirifice ipse errans in hunc modum pergit: „Fuere vero libri in universum LII, quibus complexus fuit, quae consecuta sunt post illa, quae Polybius scripsit. Hoc etiam ostendunt verba ista Suidae: ἔγραψεν ἴστοριαν τὴν ἔως τοῦ πολέμου τοῦ Κυρηναϊκοῦ καὶ Πτολεμαϊού. Ubi intellego Ptolemaeum primum Lagi filium, cuius dux Ophellas Cyrenaeos Ptolemaei imperio subiecit ol. CXIV, ut fusius narrat Diodor. XVIII, 21^a. Quam ob causam iure vituperatur a Bakio (l. c. p. 250): „quae verba (sc. Suidae: ἔως τοῦ πολέμου e. q. s. . . .) duobus turpissimis erroribus laborant: primum animadvertisit G. Io. Vossius, Posidonium Alexandrinum multo ante natum Polybium decessisse, igitur huius non potuisse historiam persecui. Alter error, mirum videatur, quod virum eruditissimum fugerit. Historia illa post Polybium desinit in Ptolemaeo et bello Cyrenaico; quo Ptolemaeus Lagi filius Cyrenaeos sibi subiecit ol. CXIV: ita recte Vossius. Sed cum Polybii historia desinat in ea clade, qua Mummius Corinthum diruit, idque factum esse constet ol. CLVIII, non potest is, qui hanc historiam persecutus, in ol. CXIV desinere, id est, centum amplius et septuaginta annis ante“. Sed Bakius ipse cum Rhodium Posidonium opus illud scripsisse neget, non amplius de

dubiis his Suidae verbis disserit sed „nunc“, inquit, „Suidam mittamus“ ¹⁾.

Etiam Heynius (de fontt. Diodor. in Commentt. Soc. Gott. vol. V p. 89) de Suidae errore nihil disserens haec habet: „Posidonius historias post Polybium libris LII persecutus usque ad bellum Cyrenaicum, quod illud esse necesse est, quod a Ptolemaeo Physone gestum est ol. CLIV, 4, 161 a Chr.“ Postea autem p. (l. c.) 100 rectius de eodem Posidonio sed sine argumentis; „Posidonius Apamensis Polybii historias libris LII usque ad Pompeii tempora continuaverat.“

Neque Heerenus quidem de Suidae verbis disseruit, sed opus Posidonii historicum (haud diversum ab illo, quod Suidas Alexandrino tribuit) usque ad annum 64 (de fontt. Trogi Pompeii, comm. Soc. Gott. vol. XV p. 234) vel ad annum 63 (de fontt. Plutarchi comm. Soc. Gott. vol. XV p. 234) ²⁾ deductum esse ex ipsis historiarum fragmentis apud Athenacum servatis collegit.

Primus, quod scio, Muellerus (l. c. p. 250) diligenter et copiosus hac de re disseruit: „quae apud Suidam leguntur verba ἔως τοῦ etc. vel aliunde hue irrepsisse vel librariorum culpa corrupta esse videntur. Neque enim nos novimus bellum Cyrenaicum, ad quod finem narrationis direxisse Posidonius dici queat. Notissimum omnium bellum est, quo Ptolemaeus Lagi Cyrenaeos sibi subiecit; neque aliud Suidae auctor, modo recte se verba eius habeant, intellexerit. Hoc si est, ac si revera Posidonius Alexandrinus opus quoddam historicum composuit, huius auctoris historias ad hunc usque terminum pertinuisse, ideoque Rhodii et Alexandrini historici memoriam temere

1) Westermannus in adn. ad Vossii verba facta (Vossii de hist. Gr. auctiones et emend. Lipsiae 1858 p. 202) Bakii verbis Vossii errorem corrigit, sed de Suidae ἔως etc. nihil addit.

2) De fontt. vitt. parall. Plut. Gottingae 1820.

misericordia, aliquis suspicetur. Quamquam tale commentum artificiosius quam verisimilius esse duco, praesertim cum de Alexandrino Posidonio aliunde omnino nihil constet, nisi quod Zenonis discipulus fuerit, uti Diogenes Laertius (VII, 38) tradit, ex quo sua Suidam hausisse haud improbabiliter coniecit Bernhardyus Persuasum nobis est verba ista ἔως etc. traxisse mendam. Pro πολέμου reponendum puto Πτολεμαίου; verba καὶ Πτολεμαίου, quae sic posita nihil deficiunt eiendi sunt, opinor. Etenim lectionem corruptam πολέμου quidam emendaverat in margine scribens Πτολεμαίου; glossa in textum deinde relata et particula καὶ cum reliquis iuncta est. Atque hoc quidem simplicissimum esse mihi videtur. Sin servare velis voces καὶ Πτολεμαίου, scribendum propono ἔως Ἀπίωνος τοῦ Κυρηναϊκοῦ τοῦ καὶ Πτολεμαίου. Utut statua, extra dubitationis aleam est, quin Ptolemaeus ille sit Ptolemaeus Apion rex Cyrenarum, de quo ita Livii epit. 70: Ptolemaeus Cyrenarum rex, cui cognomenum Apioni fuit, mortuus heredem P. R. reliquit . . . cf. Iustin. XL, 5. Res pertinet ad ol. 171, 1; 658 a. u. c.; 96 a. Chr. Ipsum hunc annum Posidonius terminum historiarum operis posuisse putandus est. Polybius finem historiarum fecit annum, quo Carthago in Romanorum potestatem venit (146), sic in locum eius succedens Posidonius narrationem ad eum usque annum continuavit, quo orientalis quoque Libya pars in provinciae formam redacta est, sive usque ad illud tempus, quo fortuna Romana porrigere se ad orientalia regna cooperat, uti Iustinus ait, qui in tota hac historiae parte nostri premit vestigia. Eodem anno 96 a. C. fato defunctus est Antiochus Grypus Syriae rex (125–96). Ad res vero Syriae Syrum auctorem prae ceteris attendisse putaveris, ad easque maiorum fragmentorum pars pertinet.“

Firmari videtur haec Muelleri conjectura eo, quod ex fragmentis Posidonii videmus, libro quadragesimo sep-

timo narrari de Ptolemaeo Alexandro, Aegypti rege, 107–89 regnante (certo anno, quod fragmento illo (ap. Muell. 37. Athen. p. 550 B) traditur, adscribi nequit), libro quadragesimo nono de luxuria Apicii, eius, per quem P. Rutilius Rufus a. 93 in exilium missus est (frg. ap. Muell. 39: p. 168 D.), ita tamen ut fragmentum non ad illum annum sed ad priora quoque tempora referri possit. Itaque ultimo secundum Suidam libro, quinquagesimo secundo, Posidonium progressum esse usque ad annum 96 veri esse simile, cum singulis libris singulos fere annos descripserit, ultimis autem libris „narratio prolixior fuisse putanda sit“.

Sed in aliam ac Muelleri sententiam discedere commovemur novo Sallustii fragmento, quod ex folio palimpsesto Toletano erutum est (Kritz: Sall. histor. frgm. Lipsiae 1853. p. 150; frgm. 47): „Publiusque Lentulus Marcellinus eodem auctore quaestor in novam provinciam Curenas missus est, quod ea mortui regis Apionis testamento nobis data prudentiore quam illas per gentis et minus gloriae avidi imperio continenda fuit“.

Ea, quae fragmento illo narrantur, pertinere omnia ad annum 75, luculenter demonstravere Rothius Basileensis (Mus. phil. Rhen. a. 1852 vol. III P. 3 p. 433–40) et Heerwagenius (in Kreysigii epistola de C. Sallustii hist. libri II reliquiis ex Pal. Tol. erutis. Misenae 1852). Iam vero priusquam de fragmento Sallustii, quomodo valeat ad Suidae illa de Posidonii opere verba intellegenda, explicemus, dicamus oportet de Cyrenensium statu, qualis fuerit post annum 96, quo Ptolemaeo Apione rege mortuo hanc terram testamento Romanis heredibus relictam esse scimus. Eo anno enim „senatus eius regni civitates liberas esse iussit“ (Liv. ep. 70). Sed domesticos magistratus pentapolim Cyrenaicam imprudenter et ambitiose rexisse, mox etiam tyrannos exstitisse testis est Plutarchus (Luc. 2): Κυρηναῖος καταλαβὼν (sc. Lucullus a Sulla missus, qui classem pararet a. 86) ἐκ τυραννίδων συνεχῶν

καὶ πολέμων ταραττομένους ἀνέλαβε καὶ κατεστήσατο τὴν πολιτείαν¹⁾. Pacem a Lucullo restitutam, mox rursus turbis domesticis vexatas esse urbes illas et magistratibus ambitiosis pressas ex ipso Sallustii fragmento videmus, ita ut anno 75 P. Lentulum Marcellinum quaestorem Cyrenas mitterent Romani „ad continendas illas regiones prudentiore imperio“, hoc est: Romani inde ab eo anno iam non „eius regni civitates liberas“ esse sed in provinciae formam redigi Cyrenaicam voluerunt. Consentit cum Sallustii fragmento Appianus (B. C. I, 111): *τοῦ δ' ἐπιόντος ἔτους, ἔκτης ἑβδομηκοστῆς καὶ ἑκατοστῆς ὀλυμπιάδος οὖσης, δύο μὲν ἐκ διαθηκῶν ἔθνη 'Ρομαῖος προσεγγύνετο, Βιθυνία τε Νικομήδους ἀπολιπόντος καὶ Κνείρην Πτολεμαίου τοῦ Λαγίδου βασιλέως, δις ἐπίκλησιν ἦν Ἀπίων²⁾.* Sed aliter ac Sallustius et Appianus haec tradit Eutropius VI, 11: „Quo tempore (sc. a. 67, quo Creta a Metello subacta est) Libya quoque Romano imperio per testamentum Apionis accessit“. Cui Eutropii testimonio confisus Franzius (corp. inser. vol. III p. 560) haec fere in medium profert: „Atque omnino Cyrenaica, postquam inde ab anno 96 libertate a senatu concessa abusa est, statim cum Creta recens subacta 67 coniuncta fuisse videtur. Hie annus confirmata“.

1) Ioseph. antt. Iud. XIV, 7, 2.

2) Kritzius (l. c. p. 152 adn.): „Quem Appiani locum Kreysigius (Comment. p. 26) recte sic cepit, ut statueret, non ad idem tempus Appianum retulisse Ptolemaei et Nicomedis mortem ac testamenrum, quo errore Pertzius (l. c. p. 11) eum insimulavit, sed hoc prodidisse, uno eodemque anno Bithyniam et Cyrenen ex regum illorum testamento provincias Romanas factas esse“. Sed nescio an recte Pertzius hoc errore Appianum insimulaverit, nam cum a. 96 mortuus sit Apion, triginta autem annis fere post Cyrenaica in provinciae formam redacta sit, rerum scriptores omnes fere, quos adhuc inspicere possumus, in hac re erronea tradunt: Cyrenen testamento Romanis relictam simul et provinciam factam. (v. Eutrop. VI, 11, et omnino de hac re Clinton. Fast. Hell. III, 394.)

tur fragm. codicis Liviani (sc. in Toletano palimpsesto cum primo inventus esset, Pertzius (Ueber ein Bruchstück des 98. Buches des Livius 1848), Kreysigius („comm. de T. Liv. hist. rell. ex Pal. Tolet. erutis 1849“ et „curae secundae ad T. Liv. hist. rell. 1852“) aliquae Livii fragmentum non Sallustii scriptum esse putaverunt), cuius in summa pagina consulatus Caecili Metelli Cretici (a. 69) facta est mentio, in altera de Cyrenaica in provinciam redacta dictum habetur, ut hoc factum proxime ab anno 69 videatur“. Atque cum ea quidem, quae de Metelli consulatu in Toletano palimpsesto commemorato dicit Franzius, prorsus falsa sint¹⁾, tamen immerito eum vituperat Kritzius (l. c.): „In summo igitur Appiani et Sallustii consensu inconsulto Franzius (corp. inscr. v. III p. 560 C) illius fide spreta Eutropio auctore probare studuit, anno demum 67 a. Chr. n. Cyrenen in provinciae formam esse redactam; quamquam ne Eutropius quidem id, quod Franzius opinatur, tradit. Nam cum, postquam narravit subactam fuisse per Metellum Cretam, ita pergit: „quo tempore Libya quoque Romano imperio per testamentum Apionis accessit“; quivis videt „quo tempore non esse: eodem anno, sed: paucis (i. e. octo) annis ante“. Sed num Kritzio quis hoc credat, equidem addubitaverim. Immo Eutropio (quocum propemodum consentit Euseb. Chron. ol. 179, 2, p. 135 ed. Schoene) cum anno demum 67 Cyrenaicam Romanis provinciam accessisse dicat, non minus causam esse puto, quam Appiano anno 75 hoc factum esse tradenti. Senatum enim persuasum habeo anno quidem 75 decreuisse, ut Cyrenenses quaestoris imperio continerentur ac propterea Lentulum

1) Sic enim est in fragmento: „Qua re fatigata plebes consules ambo (eos esse L. Octavium, et C. Aurelium Cottam demonstraverunt Rothius et Heerwagenius (l. c.) ita, ut dubitari de hac re non possit), Q. Metellum, cui postea Cretico cognomen inditum, et candidatum praetorium sacra via deductos“ etc.

Marcellinum eo misisse, illum autem debellare Cyrenenses vel eorum tyrannos non potuisse ante annum 67 a. Chr., ita ut hoc demum anno illud senatus consultum ratum fieret. Nec re vera mirabimur, quod tam diu Lentulo bellum gerendum fuerit, si rei publicae Romanae statum, qualis eo tempore fuerit, cognoverimus. Optimatum enim post Sullae mortem imperium infelicissimum fuisse Romanis et intestinis turbis et cladibus externis, nemo ignorat. Anno autem 75 et sequentibus gravissimis undique bellis occupatos fuisse Romanos, Mithridatico tertio, Sertoriano, Spartaci seditione, ita ut omnibus viribus suis et copiis ad hostes illos arcendos uterentur neque satis adiuvare possent Lentulum, non minus apparet. Mithridatem vero, cum eo ipso anno, quo Bithyniam et Cyrenaicam occupaverant Romani, bellum incepisset, cum piratis coniunctum Cyrenensibus, quantum posset, auxilium tulisse¹), valde est consentaneum. Certe eo tempore piratarum potentiam summam fuisse²), ita ut ipsius Italiae urbes diriperent, certe scimus, nec Metellum quidem contra Cretenses missum eos superare potuisse, sed duos annos strenuo duci contra solos Cretenses pugnandum fuisse constat. Iam vero cum anno 67 Pompeius lege Gabinia summo imperio contra piratas missus esset, his quoque regionibus per longum tempus summopere vexatis pacem et quietem restituit; quo anno Cyrenensium quoque res compositas esse, et quod anno 75 fieri voluerit senatus, iam re vera factum esse persuasum habeo. Eodem anno Creta a Metello subiecta et perdomita in provinciae formam redacta est, eam insulam autem una cum Cyrenaica unam

1) v. Mommsen. R. G. III, 50. (ed. III.)

2) Florus I, 40, 19. ed. Jahn. Audaciam perditis furiosisque latronibus dabat inquieta Mithridaticis proeliis Asia, dum sub alieni belli tumultu exterique regis invidia impune grassantur. Etiam „Cretam inter atque Cyrenas“ in primis latrocinatos esse piratas, ex eodem Floro scimus.

effecisse provinciam testis est Strabo (p. 841): ὁγδόντην δὲ Κορήτην μετὰ τῆς Κυρηναϊκῆς et (p. 837): καὶ νῦν ἔστιν ἀπολέχια τῇ Κορήτῃ συνεζευγμένη (sc. Κυρηναϊκή)¹).

Itaque; ut iam breviter omnia complectamur, non inter se repugnare veteres scriptores, sed unum quemque recti aliquid tradere persuasum habeo:

a. 96: testamento regis Apionis Cyrenaica Romanis relicta est (Liv. ep. 70; Iul. Obseq. c. 109; Iustin. XXXIX, 5).

a. 86: Lucullus intestinas harum civitatum turbas sedavit (Plut. Lucull. c. 2. Ios. antt. Iud. XIV, 7, 2). Sed iterum iterumque bellis ibi nascentibus, senatus decrevit, ut

a. 75: P. Lentulus Marcellinus quaestor in Cyrenaicam mitteretur „ad eam provinciam prudenti imperio continendam“ (Sall. frgm. Tolet. Kritz. p. 152. Appian B. C. I, 111). Qui cum res non ad finem perduxisset,

a. 67: Pompeius devictis piratis rem perfecit. Cyrenaica una cum Creta provincia facta²).

1) Florus I, 40 de legatis et praefectis Pompeii, quibus ex omnibus mariis piratas compulerit, haec profert: Gellius Tusco mari impositus, Plotius Siculo, Gratillus Ligusticum sinum obsedit Lentulus Libycum; Marcellinus Aegyptium . . . De isdem legatis multis in nominibus discrepat ab eo Appianus (Mithr. 95) sed omnino rectius res tradere putandus est. Itaque cum scribat: „Ἄτι βύγ τε καὶ Σαρδόνια καὶ Κύρωνα καὶ ὅσαι πλησίον νῆσοι, Αέγαντον τε Μαρκελλίνον καὶ Πούπλιον Ἀττίλιον“, in Floro corruptum: „Lentulum Libycum, Marcellinus Aegyptium“ puto, nec dubito, quin idem Lentulus Marcellinus, qui a senatu a. 75 Cyrenas missus erat, a Pompeio Libycō mari, quippe quam regionem bene cognovisset, praepositus sit.

2) Sextus Rufus c. 13 (eumque secutus Ammian. XXII, 16, 24), de alio quoque Apione loquitur, scilicet ipse perturbatus Livii, Appiani aliorumque, quae videtur esse, discrepantia; de hac re v. Clinton (F. H. III, p. 394).

Iam ad Suidae verba revertamur: ἔως τοῦ πολέμου τοῦ Κυρηναϊκοῦ. Ad hoc enim bellum, de quo modo diximus, deduxisse historias suas Posidonium persuasum habeo. Et hunc quidem annum aptum ei visum esse ad finiendum historiarum opus, quo terrarum orbi amicus Pompeius pacem reddidisset, certe putaverim. Nam cum praecedentibus annis post tot tantasque Romanorum clades Sertorianum bellum bene finivisset, debellasset Spartacum, iam a Lucullo Mithridate superato nihil periculi supererat nisi pestis illa piratarum molestissima, quae cum ipsam quidem rem publicam evertere non posset, eo magis vexabat summa crudelitate singula oppida, remotioresque regiones. Itaque hac quoque peste extincta, quam et ipsos Rhodios¹⁾ praecepue excruciasse verisimillimum est, nova quadam libertate donati esse, qui in his regionibus habitabant, videbantur. Cuius pacis et securitatis commoda Posidonus ipse laeto animo sentiebat.

Verba autem, quae apud Suidam sequuntur: καὶ Πτολεμαίον ita irrepssisse mihi videntur, ut a librario quodam, qui cum bellum illud, de quo modo diximus, ignoraret, de notissimo illo a Ptolemaeo Lagi contra Cyrenaeos gesto imprudenter cogitaret, in margine primum scriberentur, nisi forte eo ipso anno (67) exstissse aliquem tyrannum Ptolemaei nomen sibi arrogantem putaveris²⁾.

Sed iam dicendum est de Strabonis loco (p. 492):

1) Flor. I, 40: „Quippe cum classibus suis et socialibus Rhodiōrum abundaret“ (sc. Pompeius) etc. Itaque hoc quoque in bello sicut in Mithridatico primo Rhodios Romanorum fuisse socios fidelissimos videmus, haud scio an ipsa quoque Posidonii apud Rhodios auctoritate, quippe qui cum summis Romanis, praecepue cum Pompeio amicitia coniunctus esset (v. p. 1).

2) Sic de Aristonico, qui Attali se filium nominaverit, bellum contra Romanos moliente nobis traditur, nec minus in Sicilia servilis belli tempore servus aliquis Syrus Syrorum regum nomine Tryphonem se appellavit.

προστιθει δὲ τούτοις, δότι καὶ τὴν ἴστοριαν συνέγραψε τὴν περὶ αὐτόν. Quo ex loco cum satis appareat Pompeii res Posidonium enarrasse, hoc quaeritur, utrum Strabo, peculiarem a philosopho libellum solas amici res tractantem an in historiarum opere eas narratas esse his verbis dixerit. Qua de re cum Vossius non disputet, Heerenus historiarum opus Posidonii usque ad annum 64 vel 63 deductum fuisse ex eo ipso Strabonis loco collegit (de fontt. Trogi. comm. Soc. Gott. vol. XV. p. 234 et de fontt. Plut. p. 142): „Pompeii vero quoque res gestas, qui eum ad bellum Mithridaticum proficiscens Rhodi salutavit, ab eo expositas fuisse, testem habemus Strabonem. Quae autem hic ex Posidonio de latitudine Isthmi enotavit Strabo . . . ex ultimi belli Mithridatici historia a Pompeio, qui cum exercitu regiones illas adiit, confecti, desumpta esse, dubium prorsus esse nequit. Ad belli itaque Mithridatici finem eas deductas fuisse . . . adeoque 82 annorum spatium nempe ab a. 146 usque ad a. 63 complexas esse probabile est.“ Muellerus cum ad annum 96 finem historiarum operis constituisset, alteram fuisse historiarum partem ex frgm. 40 et 41 Posidonii et ex hoc Strabonis loco collegit, „nova librorum serie distinctam, cuius nullam Suidas mentionem iniecerit.“ In ea Pompeii res prae ceteris auctorem explicasse, consentaneum videri.

Nobis cum ad annum 67 deductas esse historias Posidonii persuasum habeamus, „novam librorum seriem ponere,“ cuius rei nullum nobis apud veteres testimonium exstat, non cogimur. Itaque putare licet hoc solum voluisse Strabonem, Posidonium in historiarum opere καὶ τὴν ἴστοριαν τὴν περὶ Πομπέιον scripsisse. Ceterum cum res a Pompeio post annum 67 gestae gloriam eius valde augerent, quominus quis Posidonium etiam illas alio opere descripsisse credat, nihil impedit. Sane enim illo Strabonis loco (p. 492) facile adducimur, ut bellum a Pompeio contra Albanos et Iberos gestum enarrasse Posidonium

putemus, quamquam ne hoc quidem certum est, utrum omnino ex historico aliquo opere an ex alio eius libello de isthmi latitudine illa fluxerint. Quem ad modum igitur haec res se habeat, certo constitui omnino nequit, cum nullo Posidonii fragmento res post annum 67 gestae nobis traditae sint.

Praeter historiae studium multum geographiae quoque dedisse operam Posidonium iam supra commemoravimus, sed de locorum natura et indole, de urbium situ, fluviorum cursu aliisque rebus, quae ad geographiam „historicam et physicam“ spectent, non seiunctim ab historiis, geographicis libris scripsit, sed magno illo opere ea plerumque intexit. Quod cum ex historicis fragmentis facile intellegatur, recte Bakius (p. 133. adn.): „vel geographiam historiis exornavit vel historiam geographicis, certe utramque uno opere prodidit.“ Westermannus autem (in adn. ad Voss. de Gr. hist. p. 201) cum dicat: „Verum non persuadet Bakius, qui (p. 133) haec omnia, geographicas et historicas in uno opere Posidonium prodiisse ait;“ vereor ut prorsus intellexerit Bakium. Is enim nil nisi hoc dicit: non opus historicum edidisse Posidonium et seiunctim ab eo opus geographicum, quo singulae terrae descriptae essent. Ceterum aliis quoque libellis res geographicas tractavisse Posidonium Bakius quoque exposuit, cuius rei argumentum nobis est opusculum περὶ ὠκεανοῦ, in quo Posidonium τὰ πολλὰ γεωγραφῆσαι, τὰ μὲν οἰκεῖως, τὰ δὲ μαθηματικάτερον, testem habemus Strabonem¹⁾. Qua de re cum, quos Strabo Posidoni locos affert, utrum ex illo libello, an ex historiis desumpti sint, haud semper certe diiudicari possit, recte Muellerus geographicas quoque fragmenta historicis apposuit.

1) Alii libri Posidonii, quibus geographicas inesse aliquis putaverit, sic inscripti sunt: περὶ τοῦ ἡλίου μεγέθους. μετεωρολογικὴ στοιχεώσις . περὶ μετεώρων . φυσικὸς λόγος (v. de eius libris Bakium l. o. p. 235 sq., Muellerum p. 248).

Denique etiam de tactica arte eum scripsisse, ut in his rebus versatus pugnas et urbium oppugnationes bene depinxisse putandus sit, tradunt Aelianus (Tact. 1): ὁ δὲ στρατὸς Ποσειδώνιος καὶ τέχνη τακτικὴ ἔγραψεν, et Arrianus (Tact. init.): Ποσειδώνιος ὁ Ρόδιος καὶ τέχνη τακτικὴν συγγράψας κατέλιπεν.

Iam vero, cum, quomodo ad historias scribendas Posidonus se paraverit, quod temporis spatium opere suo complexus sit, viderimus; de ipsis, quae de hoc opere supersunt, fragmentis, a quibus scriptoribus, qua ratione nobis tradita sint, quantum possumus, agere in animo est. Denique res toto opere narratas quomodo singulis libris distribuerit scriptor, disserere studebimus.

Servata habemus fragmenta Posidonii a Strabone, Iosepho, Plutarcho, Athenaeo: plurima ex opere Strabonis geographicō desumpta: quadraginta septem, si quidem ea quoque quae ex opere „περὶ ὠκεανοῦ“, vel ex aliis libellis Posidonii geographicis fluxerint, in numero habemus. Athenaei sunt triginta octo, Plutarchi novem, Iosephi unum, aliorum, quae notat Muellerus, fragmenta per pauca neque ad res gestas neque ad terrarum descriptiones spectant, sed ex meteorologicis aliisque libellis desumpta putaverim. Omnium autem nobis gravissimus auctor ad cognoscendum historiarum opus est Athenaeus, quippe qui permulta nobis fragmenta, quae ex historiarum opere, non ex geographicis libris derivata esse certe scimus, afferat et, quod summi est momenti ad melius cognoscendum Posidonii opus, ea in citando ratione utatur, ut non solum semper fere Posidonium „Rhodii“ vel „Apamensis“ vel „stoici philosophi“ nomine apposito ab aliis Posidoniis certe distinguat, verum etiam saepissime dicat, quoniam ex historiarum libro ea, quae citaverit, desumpta sint, ita ut, quae Athenaeo debemus Posidonii fragmenta, certum nobis existent fundamentum totius de historiis eius quaestionis. Sed ne Athenaeus quidem, id quod dolemus, saepe de ipsis

rebus gestis sed maximam partem de moribus et institutis apud varias gentes ac praecipue orientalium populorum reges usitatis ex Posidonii opere locos nobis tradidit. Quod cum pro operis sui indole iure Athenaeus fecerit, haud licet ex fragmentis illis colligere, Posidonium non historias scripsisse sicut Polybium, sed omnino neglectis rebus gestis, regiones tantummodo et populorum habitus depinxisse¹⁾, praesertim cum etiam apud Athenaeum nonnulla habeamus fragmenta, quibus solae res gestae narrantur.

Quae Strabo nobis servaverit fragmenta geographici plerumque argumenti esse, nemo mirabitur, nonnulla autem etiam ad res historicas pertinere postea videbimus. Sed ad intellegendam Posidonii doctrinam et investigandi rationem utilissima esse ea, quae Strabo nobis attulerit, facile apparet. Cum autem, quo tempore Strabo scripsit, Posidonius, haud diu ante mortuus, notissimus omnibus esset, ita semper Strabo eum citat, ut nihil dicat nisi: ὡς φησὶ Ποσειδώνιος. Itaque, quo ex opere, vel quo ex libro Posidonii aliquid attulerit Strabo, coniectura tan-

1) Id quod Brandisius dixit (Handb. der gr. röm. Phil. Berlin 1866. p. 540): „Ob sein grosses historisches Werk eine fortgehende chronologisch geordnete Geschichte, oder Geschichtliches dem Erdkundlichen nur eingestreut enthalten habe, lässt sich aus den Anführungen nicht immer mit Sicherheit ersehen, doch erscheint mir letzteres als das Wahrscheinlichere.“ Sed rerum scriptoris laude Posidonium apud posteros floruisse, non solum ex Plutarcho videmus, sed etiam eo, quod saepissime una nominatur cum Polybio: non solum a Strabone locis permultis (Magis enim in geogr. rebus Strabo ambo nominat), sed etiam quarto vel quinto p. Chr. saeculo notissimum eum fuisse, sicut Polybium, rerum scriptorem ex Hieronymi praefat. comment. ad Daniel. bene intellegimus: „Ad intellegendas autem extrebas partes Danielis multiplex Graecorum historia necessaria est, Suctorii Callinici Diodori Hieronymi (Cardiani) Polybii Posidonii etc. quos et Porphyrius esse secutum se dicit.“

tummodo assequi possumus¹⁾. Illa autem, quae ad terrarum descriptionem incolarumque instituta et mores spectent, ex historiis plerumque fluxisse credenda sunt. Quantum fuerit Posidonii opus, quotque populorum res enarraverit, optime ex multis illis fragmentis a Strabone servatis intellegi potest; agitur enim de Iberis, Gallis, Liguribus, Scythis, Syris, Parthis, de Dalmatia, Phoenicia, Babylonica, Arabia, Mauretania, Aegypto, Sicilia, Sardinia, Italia; de Thracibus, Mysis, Cimbris, ita ut totius fere terrarum orbis gentes et civitates in historiis tractaverit.

Praeterea servata habemus a Plutarcho fragmenta novem: unum e Plut. moral. p. 777 A de Scipionis legatione (v. p. n. 5. adn. 5), duo e Marii vita, ex Marcelli quatuor, ex Fabii Maximi unum, ex Brutti unum. Bis dicit: ὡς ιστορεῖ Ποσειδώνιος, δὲ φιλόσοφος, in reliquis locis solum: ὡς φησὶ Ποσειδώνιος. Omnia haec quin ex Posidonio Rhodio notissimo derivata sint, non est dubitandi locus, praesertim cum in vita Aemilii Pauli aliud quendam Posidonium accurate ab illo distinguat: bis eum (p. 284 et p. 286) Ποσειδωνίον τινα appellans²⁾.

1) Semel scripsit (p. 94): ἵδωμεν δὲ καὶ Ποσειδώνιον, ἐπειδὴ φησιν ἐν τοῖς περὶ ὀχεανοῦ. Ex illo opere multa derivasse Strabonem, fragmentorum natura satis ostendere videtur. Certe nisi ab Athenaeo historiarum libros citante sciremus, Posidonium in his quoque saepe torras descripsisse καὶ πολλὰ παρὰ πολλοῖς ἔθιμα καὶ νόμιμα ἀναγράψαι, Strabonis e Posidonio excerpta omnia ex aliis eius libris, non ex historiarum opere desumpta esse putaremus. Sic enim Strabo p. 332: οἱ μὲν ἐν τῇ κοινῇ τῆς ιστορίας γραμμῆς χρονίς ἀπέδειξαν τὴν τῶν ἡπειρων τοπογραφίαν, καθάπερ Ἐφιορός τε ἐποίησε καὶ Πολύβιος, ἄλλοι δ' εἰς τὸν φύσικὸν τόπον καὶ τὸν μαθηματικὸν προσέλαβόν τινα καὶ τῶν τοιούτων, καθάπερ Ποσειδώνιός τε καὶ Ἰππαρχος.

2) Ποσειδώνιός τις ἐν ἔκτυοις τοις χρόνοις καὶ ταῖς πράξεσιν γεγονέναι λέγων, ιστορίαν δὲ γεγραφώς περὶ Πέρσεως ἐν πλεοσι βιβλίοις. De eo H. Peterus (Die Quellen Plut. Halle 1865. p. 86): „In der Biographie des Aemil. Paulus liegen uns Berichte von Augenzeugen vor; von diesen stand der eine auf der Seite der Römer, der

Accedit, quod Plutarchus de Rhodii Posidonii cum Pompeio et Cicerone consuetudine nobis tradit, ita ut bene eum novisse Posidonium certe sciamus. Sed novem illorum fragmentorum sunt quattuor, quibus res nobis narrantur, de Marcello, belli Punici secundi laude illustri. Quae res Bakium, cum etiam alia Posidonii fragmenta res ante a. 146 tractantia exstare dicat (v. p. 27), in eam sententiam discedere adduxit, ut Posidonius Apamensis „illud temporis spatium historiis complexus esse videatur, quod sit inde ab Alexandro M. usque Pompeii aetatem.“ Aliter de eadem re sentit Heerenus (de fontt. Plut. p. 141): „Solemne admodum fuisse novimus historiographis Graecis, quod vel ipse Polybius docet, praemittere argumento principi prooemium, uno alterove libro contentum, quo, quae epocham, ubi principium scribendi facerent, proxime praecesserant, breviter exponebant, vel quoque Theopompi exemplo in ipso opere multa ἐπεισοδικῶς inserere. Quidni igitur hoc quoque a Posidonio factum esse putabimus?“

Aliam viam ad haec fragmenta explicanda ingressus est Muellerus (l. c. p. 251): „Ceterum cum praeter ea, quae

andere auf der des Perseus: nämlich Posidonius Olbiopolita.“ Et in adnotatione haec addit: „Die Vermuthung, dass es Posid. Olbiopolita ist, röhrt von Bake her; jedenfalls ist es nicht Posidonius Apam. u. s. w.“ Sed et Bakius rem argumentis non firmavit (l. c. p. 254): „hic forte est historicus, quem citat Plutarchus in Aemilio Paulo. Bellum contra Perseum, regem Macedoniae, gestum est circa Ol. CL.“ Certe igitur Bakius errat, cum eundem Olbiopolitam, quem Perseo regi aequalem fuisse ex Plutarchi verbis scimus, auctorem faciat Casaubonum secutus τῶν μετὰ Πολιβίου (usque ad Sullae vel Pompeii tempora). De Olbiopolita Posidonio autem cum nihil nobis traditum sit, nisi, quod in Suidae lexico habemus, rem ad liquidum perducere vix possumus. Hoc unum scimus, historica opera Suidam ei adscribere, in his περὶ τῶν καὶ αὐτὸν opus, id quod illum quoque Posidonium, quem Plutarchus nominat, scripsisse ex ipsis Plutarchi verbis supra allatis appareat.

ad huius temporis historiam spectant, multa in fragmentis legantur de celebri isto Marcelllo belli Punici secundi, eius Marcelli, quo consule Romam venit Posidonius, praeavo, nescio an peculiari scripto vitam eius narraverit; quamquam illa etiam historiis inserta legi poterant.“ Et sane persuasum habeo, rectum vidisse Muellerum, cum de illo Marcello, quo consule Romam venisse Posidonium a Suida traditum habemus, moneret; ita ut amicitia, quae Posidonio cum hoc Marcello, Pompeii socio (consul erat ab optimatibus potissimum, qui tunc a Pompeii partibus contra Caesarem stabant, creatus), intercedebat, ansa nobis sit ad recte de fragmentis illis iudicandum. Quae utrum e peculiari libello desumpta an historiis inserta fuerint, quamvis in dubio relinquendum sit, hoc tamen magis crediderim, quod Plutarchus, si re vera de solo Marcello libellum Posidonius composisset, ex illo praecipue sua hausisse in vita Marcelli putandus foret¹⁾.

Praeter haec fragmenta ab Athenaeo, Strabone, Plutarcho tradita restat Iosephi unum, ex quo Iudeorum contra Syros reges bella Posidonium in historiis tractasse appetat. Nominatur autem a Iosepho una cum Apollonio Molone, quo cum Rhodi habitasse eodem tempore Posidonium compertum habemus, ita ut Rhodium eum esse,

1) Talia enim opera res unius, cuius vitam scribendam sibi proposuerat Plutarchus, pertractantia, fuisse ei acceptissima, recte docet Peterus (l. c. p. 1). In Marcelli vita autem, quamvis citaverit Posidonius, tamen non fuisse eum fontem primarium, idem demonstravit (l. c. p. 77): „Eben so wenig aber ist Posid. die Hauptquelle; dies beweist zunächst die Art, wie er citirt wird, denn nie geschieht dies, um ihn zu widerlegen; es sind stets nur einzelne Bemerkungen, meist Anekdoten, bei denen sich Plutarch auf Posid. als Gewährsmann beruft, und bei denen man oft deutlich sieht, wie sie in den Zusammenhang hineingeschoben sind.“ Eodem scilicet modo etiam ipsum Posidonium haec de Marcello historiis occasione data intuisse puto.

quem citat Iosephus, vel hac de causa intellegamus. -- Reliqua fragmenta, a Muellero allata, num ex historiarum opere desumpta sint, recte dubitamus^{1).}

Iam igitur, quomodo, quas tradidit, res in singulos magni operis libros distributae fuerint, quantum possumus, Athenaeo potissimum duce, disseramus.

Quod cum primus Bakius facere studebat, in magnos eum errores incidisse iam supra diximus. Propter illa enim de M. Marcello fragmenta aliaque nonnulla, quibus res ante annum 146 traditas esse contendit, Posidonium historiis complexum esse temporis spatium, quod esset inde ab Alexandro M. usque ad ipsius scriptoris aetatem, demonstrare Bakius conatus est. Sed ut haec, quae de Antiocho II., Seleuco Callinico Bakius protulit (qua de re statim dicam) recta essent: nullum videmus Bakium secuti rerum ordinem, quem Posidonius in opere suo instituerit. In libro quarto enim cum de Hierace, Ptolemaei Evergetae adulatore, in libro septimo de hoc ipso Ptolemaeo, in libro octavo de Damophilo, Siculorum fugitivorum duce, narretur, qua ratione in libro decimo quarto Antiochi secundi, in libro decimo sexto Seleuci Callinici atque iterum Antiochi secundi res exponere potuit Posidonius? Qualem igitur rerum ordinem inesse operi Posidoniano Bakius ipse voluerit, equidem prorsus nescio, neque ipse eum explicare conatus est. Sed omnino neque de Antiochi secundi, neque de Seleuco Callinico in fragmentis illis dixisse Posidonium, verum de Antiocho Grypo, de Antiocho Sideta, denique de Seleuco, Antiochi Sideetae filio, Muellerus (l. c. p. 257, et Niebuhrum secutus p. 713. adn. ad. §. 18) docuit.

1) Sunt ex operibus Cleomedis Cyclici, Agathemerii, Achillis Tatii, Plinii excerpta, quos ex geographicis Posidonii libris hausisse veri est simillimum.

Correctis igitur his Bakii erroribus restant fragmenta illa de M. Marcello, de quibus iam diximus, et unum praeterea: de Pythionices, Harpalii amicae, funere (Ath. p. 594 E). Quod cum e libro Posidonii vicesimo secundo excerptum sit, inseruisse scriptorem aliqua occasione data hunc de famosissima illa meretrice locum, facile apparet, neque quisquam erit, qui propter hoc solum fragmentum Posidonium res Alexandri magni eiusque ducum enarrasse putet, cum reliqua, quae nobis servata sunt fragmenta, progredientem cum librorum numero rerum seriem ostendant; id quod iam videbimus:

Primum, quod aliqua ex parte ad certum tempus redigere possimus, fragmentum Athenaeus (p. 176 B) e tertio Posidonii libro nobis tradidit: de bello Apamensium contra Larissacos gesto. Neque de hoc ipso bello nobis aliquid constat, sed fuisse Demetrio II. Nicatore regnante ex fragmento Diodori (de insid. 21; Fragm. hist. gr. ed. Mueller. p. II, vol. XVII) colligimus; illum enim, postquam ab Alexandro Bala vi et armis imperium Syriae recepit, infinita crudelitate saevisse in cives, ab eodem Diodoro (XXXIII, 5) traditum habemus, qua de causa Diodotus Tryphon (Diod. de insid. 21): ὑπάρχων ἐν πολλῷ ἀξιώματι τῶν παρὰ τῷ βασιλεῖ φίλων, ὅρων τὸ πρὸς τὸν δυνάστην μῆσος, ἀποστὰς τοῦ Ἀμυγδαίου καὶ ταχὺ πολλοὺς εὑρὼν κοινωνοῦντας τῆς προσαιρέσεως τοὺς περὶ τὴν Λάρισαν..... (Ille autem Diodotus erat Apamensis, v. Posid. frgm. ap. Muell. 10), καὶ πρῶτον μὲν ἀνθροίσσας μέτριον σύστημα κατεστρατοπέδεντο περὶ πόλιν Χαλκίδα . . . ἐντεῦθεν δὲ ὁρμώμενος προσηγάγετο τοὺς πλησιοχώρους. Itaque eum auxiliantibus Larissacis Apameam quoque patriam urbem in suas partes traxisse facile aliquis putaverit. Postea cum ipse imperfecto Antiocho Alexandri Balae filio rex Syriae factus esset (Diod. de insid. 25), contra duces, qui e regis legitimi partibus starent, dimicavit, in quibus erat Sarpedon, in Colesyria castra habens (Diod. de in-

sid. 25), cuius de bello contra Tryphonem gesto Athenaeus nobis servavit fragmentum (Ath. 333 B) e quinto Posidonii libro. Itaque ante Tryphonem regem factum necesse est Apamensium illud bellum fuisse, quippe quod iam in tertio libro narratum esset. Ceterum, si hoc bellum non fuerit eo tempore, quo a Demetrio II. defecerat Diodotus Tryphon, certe in prima Demetrii regni tempora cecidisse eredes, id quod Muellerus (l. c. p. 253) mavult, „cum magnis variisque turbis sub initium regni Demetrii, Nicatoris Syriae civitates dilaceratas esse constet.“ Itaque cum certe quidem, quo anno haec res gesta sit, definiri nequeat, tamen Demetrio illo regnante Apamenses contra Larissaeos pugnasse et ad annos 144, 143, 142 pertinere hoc fragmentum veri est simillimum; quorum annorum res tertio operis libri Posidonio, cum scriberet *τὰ μετὰ Πολύβιον*, sane enarrandae erant.

Primi libri fragmentum non exstat.

Secundi unum (Athen. 153 C): de eorum, qui Romae triumphum egerint, in Herculis templo epulis. Res igitur a Romanis ducibus bene gestas eo libro exposuerit Posidonius, sed quam ad rem pertineat hoc fragmentum, ne conjectura quidem assequi potui.

Tertii libri praeter id, de quo iam egimus, fragmentum alium exstat: de fructibus Arabiae et Syriae, ita ut hac de causa Posidonium res in his terris gestas narravisse conicias. Solere enim eius terrae, in qua res a scriptore explicandae gerantur, naturam incolarumque mores et instituta eum describere (et talia eum ipsarum rerum narrationi praemisisse putaverim) cum ex tota eius historiae scribendae ratione satis appareat, tum exemplis allatis postea saepe videbimus. Arabiae autem principes ea aetate multum attendisse ad Syriae res scimus a Diodoro (de insid. 21), ubi Tryphonem ab Iamblico socio Alexandri Balae filiolum Antiochum, cui imperium se restitutum esse simulabat, accepisse comperimus; hac igitur

occasione Posidonium ad illas Arabiae regiones describendas excurrisse puto.

Quarto quoque libro orientis res tractasse Posidonium, uno quod superest, huius libri fragmento (Ath. p. 252) compertum habemus. Agitur enim de Hierace, Ptolemaei Evergetae adulatore, quem priore tempore una cum Diodoto illo, regnante Alexandro Bala, praefuisse scimus Antiochiae urbi (Diod. XXXIII, 4), deinde Ptolemaei ducem strenuum (Diod. XXXIII, 26) regis illius imperium, cum milites stipendio carentes ad Galaesden quendam defecturi essent, conservasse. Quo quidem anno hoc factum sit, cum nesciamus, tamen post annum 146, quo Philometore mortuo secutus est Evergetes, hanc Galaesdae seditionem fuisse, certum habemus. Itaque cum praecedentibus libris Syriae regni turbas et bella Demetrium inter et Tryphonem gesta enarrasset, quarto libro putandus est ad res Aegyptiacas transiisse primosque Ptolemaei Evergetae regni annos eiusque contra Galaesden certamina explicasse.

Quinto libro de Parthis eum egisse testis est Athenaeus (p. 152 F: ἐν δὲ τῇ πέμπτῃ περὶ Πάρθων διηγούμενος Ποσειδώνιός φησιν . . .). Et hic quoque cum ad aliam terram aliquam gentem accessisset, de eius moribus et institutis dixisse Posidonium ex octavo fragmento patet (Ath. p. 152 F; cf. Strab. p. 515); causam autem, cur de Parthis ageret, ei fuisse Demetrii contra Parthos bellum eiusque captivitatem (a. 138). Interea Diodotum occiso Alexandri filiolo regem factum contra duces, priori regi fideles, pugnasse iam antea vidimus (Ath. VIII, p. 333 B. frgm. 10 ap. Mueller.)¹⁾.

Quod ad sextum librum referatur fragmentum, quamvis non exstet, tamen cum (Athen 549 D, frgm. ap.

1) Quem Posidonii locum, eur Muellerus (l. c. p. 254) putet, non ex historiis sed ex alio eius opere fluxisse, equidem non intellego.

M. 11) satis appareat septimo libro iterum ad res Aegyptiacas accessisse scriptorem, commemorata illustri illa Scipionis legatione (quam in annum 136 cadere bene demonstravit Muellerus (fr. hist. vol. II. p. 20), sexto libro eum Syriae res usque ad finem aliquem deduxisse, Dodotum igitur ab Antiocho Sideta regno pulsum enarrasse, in aperto est.

Octavo libro ad res in Sicilia gestas Posidonius progeries servorum bellum primum, quod exarsisse scimus a. 134, exponens. In eodem autem libro — vel quod magis placuerit, in septimo — de Antiochi Sidetae in Iudeos expeditione Posidonium dixisse, recte collegit Muellerus. Diodorus enim cum in reliquis huius aetatis rebus Posidonium potissimum sequatur, libro XXXIV (frgm. 1) de Antiocho Sideta Iudeos bello petente excusum intexit eiusdem plane argumenti atque illud e Iosepho excerptum Posidonii fragmentum (ap. Muell. frgm. 14. Ioseph. c. Ap. II, 7), sequens autem Posidonii fragmentum, libro octavo ab Athenaeo adscriptum (Ath. p. 542 B. ap. Muell. frgm. 15), prorsus eadem continet, quae Diodorus loco laudato subiungit. Quam Antiochi Sidetae expeditionem in septimo libro Posidonium narrasse hac de causa magis crediderim, quod cum octavo libro ad res in Italia gestas transeat, orientis rebus prius tractatis, statim ab initio novi libri de Romanorum rebus egisse eum consentaneum est.

Primit igitur septem libris Syriae potissimum et Aegypti rebus expositis inde ab anno 146 vel 145 usque ad annum 134, iam ad occidentis, in primis Romani imperii fortunam enarrandam proficiscitur. Quibus de rebus, num iam antea (praeter secundi libri, quod commemoravimus, fragmentum) dixerit, cum certo quidem diiudicare nequeamus, tamen hoc non probabile fuisse putamus. Nam post annum 146 usque ad a. 134 nihil omnino a Romanis gestum esse scimus, quod copiosius exponeret Posidonius,

praeter Viriathicum et Numantinum bellum, de quibus minus accurate Posidonium scripsisse putaverim, quod Polybius, cuius opus continuare Posidonio propositum erat, satis copiose de his bellis scripserat. Itaque breviter tantummodo ea perstrinxisse Posidonius videtur, ita fortasse, ut in singulorum librorum fine, quae a Romanis gesta essent, breviter adiceret. — Octavo igitur libro cum de bellorum servilium causis diceret, de moribus Romanorum a patrum severitate et continentia declinatis egisse eum probabile est, atque huc pertinere crediderim frgm. apud Muell. 2 et 3, Athen. p. 274 A et 275 A; nec minus ibi Siciliae naturam et urbes descriptas fuisse (ap. Muell. frgm. 82, 83, Strab. p. 266 et p. 273) ex operis indole colligere licet.

Proximum, quod habemus, fragmentum libri est undecimi: de Mariandynis quemadmodum se subiecerint Heracleotis, quod quo anno factum sit, ignoramus; traditum fuisse in rebus anni 132, quo servile in Sicilia bellum compositum est, ipse fragmenti locus: liber undecimus demonstrare videtur; praecedentibus libris non et decimo narratas esse alias quoque servorum seditiones (quas tetigit Diodorus (de insid. frgm. 30), nec praetermissam Attali regis mortem, et quae omnino in oriente res gestae sint, facile conieceris. Libris duodecimo et decimo tertio utrum orientis res magis tractaverit aut Romae turbas intestinas, cum fragmentis careamus, demonstrari nequit. Certe sequentibus libris ad orientis res rediisse Posidonium intellegimus, fragmento libri decimi quarti, quod est de bello ab Antiocho Sideta contra Parthos gesto (bis hoc repetit Athenaeus¹⁾ 540 B. et 210 C. ap. Muell. frgm. 17). Quo in bello describendo, quod primum quidem secunda fortuna gessisse Antiochum ex Dio-

1) Unde, cum ad verbum fere consentiant Athenaei loci, eum satis accurate e Posidonii opere exscripsisse, putaveris.

dori fragmentis compertum habemus, diutius versatum esse Posidonium docent libri decimi sexti fragmenta (Athen. p. 439 D. et p. 153 A. ap. Muell. 19 et 20). Parthicam autem Antiochi Sidetae expeditionem cum a. 129 fuisse, et ipsum regem a. 128 mortuum esse sciamus, libris decimo quarto, decimo quinto, decimo sexto usque ad annum 128 progressum esse rerum scriptorem, satis patet. Et hac quoque occasione de Parthorum Syrorumque moribus eum egisse (Athen. 153 A. ap. Muell. p. 19, et Ath. 527 E. Muell. p. 18) videmus. Eodem libro de rebus ab Arsace Parthorum rege fortiter gestis dixisse Posidonium fragmento ap. Muell. p. 21 (Athen. p. 466 B.) colligimus, quod est de Euhemero, quem, cum contra Scythas prefectus esset Arsaces, tyrannum inter Parthos extitisse, Iustinus tradit (XLII, 1); quamvis enim Athenaeus libro Posidonii vicesimo sexto locum illum adscribat, tamen recte Muellerum libro decimo sexto eum tribuere credo.

Libro vicesimo tertio de Celtis agitur et Bituito eorum rege; pertinet igitur ad annum 121, quo ille a Q. Fabio Maximo victus est. Itaque quamvis librorum decimi septimi, octavi, noni, vicesimi, vicesimi primi et secundi fragmenta non exstant, tamen his libris descripta fuisse Syriae et Aegypti regnorum bella et turbas, Demetrii Nicatoris e Parthica captivitate reditu excitatas, facile intellegimus, praesertim cum Romae debellatis servis inde ab anno 132 usque ad annum 125 nulla fere res alicuius momenti gererentur. Anno autem 125 cum petentibus Massiliensibus contra Salluvios Romani auxilium praeberent (qua re initium factum est Gallorum bellorum), deinde civiles turbae a F. Flacco, C. Graccho excitatae rem publicam Romanam occuparent, haec quoque libris circiter vicesimo, vicesimo primo, et secundo a Posidonio non minus quam orientis res tractata esse, per se patet.

Fragmentis libri vicesimi tertii (Athen. 246 C. 154 A, 151 E, ap. Muell. 23, 24, 25) Posidonium ex consuetudine sua, quam iam notavimus, praesertim cum ipse regiones illas vidisset, accurate depinxisse earum naturam et indolem gentiumque mores et instituta, bene cognoscimus. Quam eius rationem cum compertam habeamus, non dubito, quin in libro vicesimo septimo, cuius nobis restat fragmentum, quod est de Dalmatiae quibusdam plantis, res enarraverit anni 117, quo Metellus consul Dalmatas vicit (Eutrop. IV, 23). Libris igitur praecedentibus: vicesimo quarto, quinto, sexto res annorum fere 120, 119, 118 traditas fuisse putabimus, et praeter parvula Romanorum his annis bella orientis plerumque res tractasse videtur, cum Syria et Aegyptus Demetrio Nicatore mortuo variis regum bellis vexarentur. Nec minus videmus scriptorem proximis, quae exstant, fragmentis (Athen. 662 C. et 540 A, ap. Muell. 30 et 31) in Syriae rebus versantem. Quibus fragmentis e libro vicesimo octavo exceptis agitur de luxuriosis conviviis ac splendidis Antiochi Grypi, cum ad urbem Daphnen ludos celebraret, epulis; bella quoque ab eo contra Cyzicenum fratrem gesta copiose narravisse Posidonus, ut rerum orientis gnarus, putandus est.

Iam venimus ad librum tricesimum, cuius restat fragmentum unum (Athen. 153 E. ap. Muell. 32). Quo cum de Germanorum prandio agatur, certe ad annum 113, quo primum Romani a Cimbris et Teutonibus fugati sunt, res eo libro narratas pertinere persuasum habebimus. De Cimbris vero eorumque itineribus disseruisse Posidonium certo constat alio eius fragmento a Strabone servato (p. 293 ap. Muell. frgm. 75), quod, quamvis certo libro non adscriptum sit, tamen ex eo, de quo nunc agimus, historiarum libro excerptum esse, nemo negabit.

Nihil autem, id quod valde dolemus, ex Posidoniano opere nobis traditum est de bello ipso, quo Romani cum

Cimbris et Teutonibus confixere, neque de Iugurthino bello aliquid restat.

Deinde libri tricesimi quarti unum exstat fragmentum: de Apollonio quodam, Antiochi Grypi parasito; de quo cum aliunde nihil nobis constet, quem ad annum illud pertineat, dici nequit.

Sequitur ex libro tricesimo sexto fragmentum (Athen. 494 F. ap. Muell. 34): de poculis, quae nominantur, Panathenaicis; ex quo et ipso nihil colligi potest, quas res Posidonius eo libro tractaverit.

Tum prorsus caremus fragmentis librorum tricesimi septimi, octavi, noni, quadragesimi, quadragesimi primi, secundi, tertii.

Quadragesimi quarti libri unum habemus, si quidem Muelleri coniectura facillima sane uti licet (l. c. p. 265): Athen. (153 B.): *Ποσειδώνιος γράφει ἐν τῇ τετάρτῃ [καὶ τετταρακοστῇ] τῶν ιστοριῶν.* „Rettuli ad librum quadragesimum quartum, quia haec videbatur facilior emendatio (quam Bakii libro tricesimo quarto adscribentis fragmentum), atque libri numerus melius convenit temporibus, quae indicat Trogus et Iosephus A. I. XIII, 13, 4: *Ἄντιοχος, δὲ Γρυπὸς ἐπικληθεὶς, ἀποθνήσκει ὑπὸ Ἡρακλέωνος ἐπιβούλευθεὶς, βιώσας μὲν ἔτη τεσσαράκοντα καὶ πέντε βασιλεύσας δὲ ἐννέα καὶ εἴκοσιν,* (125—96). Antiochus Grypus mortuus est a. 96 a. Chr. n. Noster tamen locus non ad hunc mortis annum sed ad superiores (c. 100 a. Chr.) pertinere putandus est“.

Sed quot annis ante Grypi mortem (95) Heracleo hanc seditionem, de qua nobis fragmento illo narratur (*ιστορῶν δὲ καὶ περὶ Ἡρακλέωνος, δε τὸν Γρυποῦ προαχθεὶς μιχοῦ δεῖν τῆς βασιλείας ἐξέβαλε τὸν εὐεργέτην ἐποιεῖτό τε τῶν στρατιωτῶν τὰς κατακλίσεις etc.*), molitus sit, demonstrari nequit: hoc solum certo scimus, in libro quadragesimo quarto res post a. 96 gestas Posidonium non enarrasse.

Librorum quadragesimi quinti et sexti fragmenta non extant; proximum, quod habemus, est libri quadragesimi septimi: de Ptolemaei VII Evergetae filii iunioris Alexandri, qui una cum Cleopatra matre regnavit (107—89), luxuria et insolentia, ita ut ne hic quidem certum tempus definire liceat, nisi quod scimus, res post annum 89 gestas libro quadragesimo septimo non esse traditas.

Ultimum denique, quod exstat, fragmentum ex libro quadragesimo nono excerptum est (Ath. 168 D. ap. Muell. 36): de Apicci Romani luxuria, ita ut, quem ad annum res pertineat, nesciamus (v. p. 29).

Quae cum sint fragmenta Posidonii ab Athenaeo cum certo librorum numero nobis tradita, Muellerus, ut supra (v. p. 18) commemoravimus, ultimo, secundum Suidam, libro, quinquagesimo secundo, progressum Posidonium usque ad annum 96 demonstrare studuit illius historiarum operis finem, alterius initium fecisse „nova librorum serie distincti, et fortasse etiam reliqua adnotatione ab altero diversi“. Muellerus igitur in diiudicando Suidae textu (Ἐως τοῦ πολέμου τοῦ Κνογγαῖπον καὶ Πτολεμαίου, βιβλίους νθ.). non ab ipsis verbis proficiscitur sed praeципue illud premit, quod quinqaginta duos libros Posidonium scripsisse ille testatur. Etenim cum Athenaeus librum quadragesimum nonum laudet, res ita distribuit, ut, cum tribus etiam libris argumentum querendum sit, anno 96 librum terminet quinquagesimum secundum, qui annos morte Ptolemaei Apionis et Grypi insignis ad concludendum historiarum opus idoneus ei videatur. Itaque locum Suidae ad hanc sententiam suam coniectura adcommodare studuit, ita ut pro verbis καὶ πολέμον scriberet καὶ Πτολεμαίου, ultima autem vocabula καὶ Πτολεμαίου prorsus deleret. Quamquam verba καὶ πολέμον omnino offendere non possunt, si quidem bellum investigaverimus Cyrenaicum tali anno gestum, qualis ad con-

cludendas Posidonii historias aptus videatur. Iam ut sequentibus reliquis, quae ultra annum 96 progrediuntur, locum tribuat, novum, ut iam supra commémoravimus, opus a Posidonio scriptum ponere cogitur; cuius tamen apud nullum auctorem testimonium exstat. Certe autem Athenaeus, qui saepissime Posidonii historias ita laudat, ut librum addat, ubi res in altero illo Posidonii opere descriptas affert, titulum operis laudaturus fuisse putandus est; hunc enim a primo diversum fuisse vix negari potest. Sed tantum abest, ut de altero Posidonii opere verba faciat Athenaeus, ut eius rei apud illum nec vestigium nec vola appareat. Quae cum ita sint, multo facilius numerum Suidae emendabimus quam verba ipsa artificiose mutabimus, quippe quibus aptissimam inesse rationem demonstraverimus. Itaque pro $\beta\iota\beta\lambda\iota\omega\varsigma$ $\nu\beta'$ scribendum esse puto facillima emendatione $\beta\iota\beta\lambda\iota\omega\varsigma \pi\beta'$, ut septuaginta novem annorum spatium (146—67) libris octoginta duobus enarrasse Posidonius putandus sit; id quod optime convenit, cum singulis fere libris singulorum annorum res eum tradidisse viderimus.

Iam ea, quibus res post annum 96 gestae enarrantur, fragmenta breviter recenseamus. De Mithridatico bello primo copiose scripsisse Posidonium cognoscimus cum Athenaei loco (p. 266 E.) (ap. Muell. frgm. 39), quo agitur de Chiis a Mithridatis ducibus in servitutem abductis (a 86), tum gravissimo, quod exstet, Posidonii fragmento (Athen. p. 211 D. ap. Muell. 41): de Athenis a crudelissimo tyranno Athenione acerbe vexatis. Atque in hac operis parte Posidonium gravissimum fuisse auctorem et locupletissimum, utpote qui Rhodi vitam degens in hac civitate, quae una Romanorum in fide remansit, permultum valeret, ex eis, quae de vita eius exposuimus, satis apparet. Praeterea de supremis Marii diebus locum nobis servavit Plutarchus (Mar. c. 45, 3 ap. Muell. fgm. 41),

de quo et ipso iam diximus (v. p. 3), denique de Bruto illud (Plut. Brut. c. 1. ap. Muell. frgm. 47) v. p. 7.

Ceteris, quae supersunt, fragmentis, maximam partem a Strabone pro operis geographici indole allatis terrae depinguntur et gentium mores, ita ut, quo ex historiarum loco fluxerint, ne conjectura quidem semper assequi possimus, saepe autem ne id quidem constet, utrum ex aliquo geographicō Posidonii opere an ex historiis desumpta sint:

Ad Iberiae descriptionem spectant: Strab. p. 147, 157, 162, 163, 164, 172, 170, 153. ap. Mueller. frgm. 48, 49, 50, 51, 52, 95, 96, 98.

De Liguribus: frgm. 53 et 54. Strab. p. 165 et 218. Atque hos de eorum terra et moribus locos ex ea historiarum parte fluxisse putaverim, qua Romanorum contra Gallos bella exposuerit. Anno enim 125 „M. Fulvius Flaccus primos Transalpinos Ligures bello domuit, missus in auxilium Massiliensibus adversus Salluvios Gallos“ (Liv. epit. 60). Pertinere igitur videntur haec fragmenta ante librum vicesimum tertium, in quo de Bituito Arvernorum rege eum dixisse cognovimus.

De Timavo flumine: frgm. 55. Strab. p. 215.

De Carmanis frgm. 57. Athen. II p. 45 F. Ad hos excurrisse Posidonius putandus est in eis libris, quibus Parthorum contra Syriae reges bella exposuit, ita ut eo loco interioris quoque Asiae gentes e consuetudine sua descripserit.

De Syriae finitumarumque terrorum natura, urbibus, fructibus: frgm. 58, 59, 60, 61, 62, 63, Ath. p. 28. Strab. 749, 755, 743, 764. Quibus de rebus scribendi occasionem saepissime ei fuisse scimus.

De Sicilia: frgm. 79, 82, 83, Strab. p. 269, 169, 266. Quibus fragmentis, si quidem ex historiis desumpta sunt, locum fuisse censeo in eis libris, quibus servile bellum primum enarravit.

Ad Arabum res spectat fragm. 65. Strab. p. 786, ad Aegyptum: frgm. 73, 74 (Strab. 830, 790), nisi haec quoque ex alio opere fluxerint; de Mauretaniae animalibus: frgm. 66. Strab. p. 827. Ad cuius terrae descriptionem nescio an excurrerit eo loco, quo de bello Iugurthino dixerat.

Fragm. 56 (Athen. p. 401) de cuniculis, frgm. 67. Ath. p. 635 C. D: de instrumento „magadide“ prorsus dubia.

Iam postquam de vita Posidonii, et quomodo ad historias scribendas se paraverit, deinde de operis eius terminis et dispositione, quae ex veterum scriptis colligi posse videbantur, in medium protulimus, fides eius quin optima fuerit in eis rebus enarrandis, quibus ipse scriptor aequalis esset, dubitari non potest. Strabo quidem saepius eum vituperat, sed non minus ille in Polybium censuram agit, utrumque autem in rebus geographicis reprehendit, non in rebus gestis enarrandis. Saepissime ita de Polybio et Posidonio dicit¹⁾, ut parem fere eorum auctoritatem habere videatur. Praeter Strabonis dicta, cum nihil apud veteres de Posidonii fide nobis traditum sit, accuratius de ea re tum demum iudicari poterit, si, quae Diodorus potissimum aliique scriptores ex eo excerpserint, investigaverimus. Certe eam non fuisse tantam, quanta Polybii omnium consensu fuit, neque omnino toto scribendi consilio et ratione tam gravem scriptorem Posidonium fuisse quam illum, satis patet. Polybius enim cum magnam vitae partem in rebus publicis ipse versatus reliquum tempus totum consumeret in rebus gestis et certe explorandis et accurate enarrandis, Posidonius non historiae so-

1) Strab. II p. 104: Άλλ' ἐκείνῳ μὲν καὶ Δικαιάρχῳ συγγράμη Πολυβίῳ δὲ καὶ Ποσειδωνίῳ τις ἀν συγγνοίη;

Strab. I, p. 3 οἱ δὲ οἱ μετὰ τούτους Ἐρατοσθένης τε καὶ Πολύβιος καὶ Ποσειδώνιος. cf. I, p. 27 B.

lum sed multis quoque aliis disciplinis, tamquam philosophiae partibus, operam navabat, neque eum multum abfuisse crediderim, quin, cum stoicorum doctrinae addictus more eorum ethicam in primis tractaret, in rebus gestis aptam sibi exhiberi materiam putaret, quibus Zenonis praecepta illustraret¹⁾.

1) Certe stoicum philosophum bene cognosci potuisse in Posidonio rerum scriptore, testis est Athenaeus p. 151 E: Ποσειδώνιος δ' ὁ ἀπὸ τῆς στοᾶς ἐν ταῖς Ἰστορίαις, αἷς συνέθηκεν οὐκ ἄλλοτες ἡς προήρητο φιλοσοφίας, πολλὰ παρὰ πολλοῖς ἔθιμα καὶ νόμιμα ἀναγράφων κ. τ. λ.

V i t a.

Natus sum Victor Egmontus Paulus Toepelmannus Globicii in vico haud procul a Viteberga sito d. XVII mens. Maii a. h. s. XLIII patre Alberto, matre Emilia e gente Kober. Fidem profiteor evangelicam. Litterarum primordiis domi ab ipso patre imbutus sum. Tum in gymnasio Vitebergensi per quinques sex menses moratus transmigravi in scholam Portensem, ubi per quinque annos et dimidium ad humanitatis studia eruditus sum. Deinde Berolinensis academie civibus adscriptus sum, ubi per ter sex menses audivi Althausium, Boeckhium, Droyseum, Hauptium, Huebnerum, Lepsum, Trendelenburgium. Dein Bonnae Iahnii, Knoedtii, Ritschelii, Schaarschmidtii, Schaeferi, Springeri, Sybelii scholis interfui. Seminarii historici, Kampschultio, Schaefero, Sybelio ducibus, per annum, archaeologici seminarii Iahnio moderante per unum et dimidium annum sodalis fui ordinarius.

Ritschelii benignitate mihi contigit, ut in societatem epigraphicam reciperer. Quibus viris omnibus in primis Iahnio, Ritschelio, Schaefero, Springero gratias ago quam maximas.

Sententiae controversae.

- 1) Eur. Herc. fur. v. 347 scribendum videtur pro, ἀμαθῆς
τις εἰ θεός' ἀλλ' ἄθεος εἰ θεός.
- 2) Eur. Troad. v. 356 conicio: ὡς εἴπερ ἐστὶ Λοξίας
ἐναῖσιος.
- 3) Artem, quam dicunt stenographicam, in gymnasiis
docendam esse.
- 4) Historiam in gymnasiis ita esse tractandam, ut res
gestae accurate enarrentur, non quibus ex fontibus
earum haurienda sit cognitio.
- 5) Ad historiam medii, quod dicunt, aevi recte intelle-
gendarū ac memoria tenendarū, gymnasiorum discipuli
chartis, quibus regnorum fines adspiciant, sunt in-
struendi.